EXAMEN
CONFESSARIORUM
SEU COMPENDIUM
THEOLOGIÆ MORALIS
PRO IIS QUI APPROBANDI SUNT
AD EXCIPIENDAS SACRAMENTALES CONFESSIONES

PER

AGNELLUM PORPORA

INSIGNIS COLLEGIATÆ S. JOANNIS MAJORIS CANONICUM
HUJUSQUE DIŒCESIS EXAMINATOREM

AD USUM SUÆ ACADEMIÆ DISPOSITUM.

EDITIO TERTIA

PERQUAM PERPOLITA ET AUCTA.

IN FINE ADDITUR R. D. JOSUE DE COSTANZO
EJUSDEM DIŒCESIS EXAMINATORIS PRO-SYNODALIS
TRACTATUS DE MONIALIBUS.

VOLUMEN I.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA TRAMATER
Juxta Ecclesiam S. Joannis Majoris n.° 3o.
MDCCCXXXII.

PHILIPPO JUDICI CARACCIOLO
EX PRINCIPIBUS VILLÆ
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
NEAPOLITANÆ METROPOLIS ARCHIPRÆSULI
PATRICIA NOBILITATE PRÆCLARO
GRANDIQUE CRUCE FRANCISCI I. DECORATO ETC. ETC.
OPTIMARUM SCIENTIARUM MÆCENATI
SANORUMQUE MORUM SERVATORI PERVIGILI AC PROPUGNATORI STRENUO
AGNELLUS PORPORA
HOC SUUM CONFESSARIORUM EXAMEN
QUOD TENUI RUDIQUE INGENIO TENTAVIT
PLURIMUM EXPOLITUM, ADAUCTUM, ET TERTIO TYPO FELICITER EXPRESSUM
PASTORI SUO MERENTISSIMO
CORDE SUPPLEX, ANIMOQUE PERGRATUS
OFFERT, DEDICAT, DEVOVET.

ARCHIPRÆSUL EMINENTISSIME

Quo meae observantiae, meique cultus signa erga Te omnimode debiti ex corde depromerem, quam humilem mea ignobilis industria opellam exaravit, istanc Tibi sistere, Pastor optime, nostrae Ecclesiae columen atque

decus, In animum libentissime induxi: et haud immerito; nam si tua interest evangelicam doctrinam, christianosque mores, quoad ejus facere poteris, in grege tibi commisso sartos tectos servare; isti tenues mei ingenii partus ad hoc tendentes jure merito Tibi sunt nuncupandi. Ad Te igitur mea lumina verto: et illa, quae in Te singularis elucet, morum suavitate atque clementia opellam et auctorem ut excipias enixe deprecor. Te patrono solicito tua vivida virtute eam fulciente, firmius opella Theologorum oculos ac vultum sustinebit: Te duce fidissimo tua omnigena doctrina me dirigente, tutius ego difficillimum theologico-practicae scientiae curriculum tolerabo. Non plausus, non praeconia pro isto labore expecto: haud enim, crede mihi, ad vacuas humanae gloriae umbras capessandas id egi; sed ut idoneos et dignos Sacramentalis Judicii Ministros augustissima Christi Ecclesia in dies haberet. Sat mihi erit, si tua venia me et opus dignum facias, exoptataque benedictione donare digneris.

OPERIS RATIO.

Tertio ad vos venio, Lectores amici, illo jam impleto, quod in prima editione ominatus fui, Deus, et dies meliora dabunt. *Primum hanc scripsi opellam pro iis qui meum frequentant auditorium, pro iis., dico, qui sacerdotio insigniti, ad examen ferendum se se aptant, ut ad sacramentales Confessiones excipiendas approbentur, expeditosque se reddant. Qua de re, cum isti ante Sacerdotium studii sacri curriculum egerint, nonnulla in opella omisi, utpote quæ jam percepta in dicto curriculo; atque ea tantum scripsi, quæ in Moralis Theologiæ academiis consuescunt exponi, et aliquid ultra. Ubi vero opellam vidi (immensæ habeantur Deo grates) per totum fere regnum, et ultra, large diffusam, pluresque diœceses, ac domus religiosas, quasi institutionem pro cursu studii sacri, eam arrogasse, continuo necessitatem novi alias materies, aliosque tractatus de integro adjiciendi: quod sane in hac tertia editione sategi, ut perfectum in lucem ederem, completumque compendium. De hoc fui non semel rogatus: et mentem habui illis consulere, qui aliis auctoribus orbi, isto uno libro grande obire adstringuntur ac perdifficile munus sacramentales Confessiones excipiendi: etenim, nisi mea modica me fallit opinio, doctrinæ in eo expositæ, si bene addiscantur, idoneum faciunt Confessarium se recte gerendi, saltem in casibus obviis atque ordinariis. Quænam autem sint materiæ in opere scriptæ, in indice unicuique volumini apposita fas est videri.*

De illo tamen vos monitos cupio, quod cum non omnes sint ejusdem ingenii et capacitatis, quæ magis sunt me-

moria tenenda in textu proposui: cetera vero, ne tardiores diutius detinerentur, in subjectas notas conjeci: ex quibus bene possunt Præceptores, si velint, suas prælectiones augere. Ad hoc in notis invenient citatos locos S. Scripturæ, SS. Patrum, Doctorum, Conciliorum, Bullarum et Decretorum Rom. Pontificum, Legis Canonicæ, et Civilis tam romanæ quam novissimæ nostri regni (quos omnes in suis fontibus observare curavi, et Deus scit quantum in hoc laboris impendi); explanationes materiis in textu expositis necessarias, earundem extensiones, ac restrictiones ad casus peculiares; non paucas eruditiones analogas; ubi jus romanum a novissimo nostri regni variat; et, quod magis expedit, expositam in dictis notis invenient praxim theorias spectantem.

Ad opus concinne exarandum Auctores non paucos perlustravi: ne tamen viderer quasi avis aves, ovis oves, cæco ductu alios secutus; nonnisi quæ rationibus innituntur, doctrinas ex eis excerpsi. In neutram partem inclinatione voluntatis propendens quæstiones perpendi; illud D. Antonini effatum p. 2. tit. 1. c. 11. §. 28. *præ oculis tenendo:* Nisi habeatur auctoritas expressa S. Scripturæ, aut Canonis, seu determinationis Ecclesiæ, vel evidens ratio, nonnisi periculosissime determinatur: *et semper quasi temerarium mihi fuit visum in dubiis ex tripode absolute pronunciare, ubi Suprema Sedes silet. Quapropter variantes opiniones, ac Theologorum systemata maxima indifferentia exposui; uniuscujusque prudentiæ relinquens seligere, quod magis veritati videatur consonum. Et si compendii ratio non semper sivit omnes proponere quæstionum partes, aliquo saltem verbo Lectorem de contrariis sententiis commonefacere volui; ut nihil ei novum accidat in aliis evolvendis scriptoribus. Quod vero ad jus civile attinet, nullo ferme præeunte juxta novissimas nostri regni leges doctrinas mode-*

ravi; et in hoc non parum arrisi in præcedentibus editionibus: quid enim mihi de iis, quæ erant, et nunc non sunt, aut aliubi sunt? quí, quæso, antiquatis addiscentes prægravare, vigentibus (ut mos est apud aliquos) prætermissis? Dicet fortasse quispiam, sic me incolis tantum istius regni, rebusque id temporis solius consuluisse? Ast ego ei repono, quod vanitate tumescerem, si hac misera opella omnibus omnino prospicere contenderem Christicolis ubique terrarum degentibus, omnibusque temporibus: sat mihi erit (et utinam id indulgeat miseratio divina) si quid utilitatis afferrem personis et rebus in præsentiarum nostri regni. Præterquam quod si ita plane omnibus esset consulendum, omnia complecti deberet opus juxta præteritorum temporum mutationes, diversarumque gentium jura (etenim omnis fere natio suam nunc habet legum collectionem distinctam) Et quis id solum opinari audebit? Apage inane commentum. Cæterum in adnotationibus, ut par erat, apposite subtexui ubi jus romanum cum nostro non constat: sicque queunt Confessarii, si aliquando alicubive contingat, solo romano jure casus resolvere.

Lectores præclari, simplicitati atque styli humilitati indulgentes, animo benevolo tertio typo excusum opusculum recipite, satis habentes ordinem, claritatem, et brevitatem, qua est conscriptum. Non ita tamen brevitati vacasse invenietis, ut per solam adfirmationem, negationem, nudamve quæstionum propositionem jejune et exiliter doctrinas tradiderim: breviter sane, at nunquam defeci a potioribus rationibus adducendis. Quod si id, ne præstitutos compendii fines excederem, in adnotationibus raro præstiti; paratus sum de istis rationem reddere, sive verbo præsentibus, sive scripto absentibus. Valete.

MONITA

JUGITER PRÆ OCULIS HABENDA AD OPERIS INTELLIGENTIAM.

Omnia quæ inter duos asteriscos * . . . . * continentur, sunt de jure peculiari Ecclesiæ Neapolitanæ.

Quando citatur codex novissimus, e. g. *Cod. noviss. etc.* intelligitur codex legum hujus regni. Auctoritates, textus etc. Scripturæ, Conciliorum, Juris, Auctorum etc. citantur per notas (*a*) (*b*)(*c*)*etc.* Materiarum explanationes, extensiones vel restrictiones ad casus peculiares per numeros (*1*) (*2*) (*3*) *etc.* Quæ potius ad eruditionem attinent, per asteriscos (*) (**)*etc.* Quæ autem praxim spectant per parvas cruces (✠) (✠✠) *etc.* Et per literas grandiores (*A*) (*B*) (*C*) *etc.* citatur jus romanum, ubi nostro est absimile.

In adnotationibus vero cum inveniuntur [*art.100.*] [*art. 101.*] *etc.* per istos significantur articuli primæ partis codicis novissimi hujus regni: si autem post numeros additur *p. 2. p. 3. etc.* e. c. [*art. 100. p. 2.*] [*art. 100. p. 3.*] *etc.* indicantur aliæ partes ejusdem codicis, id est pars secunda, pars tertia etc.

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

Theologia moralis in dirigendis moribus, seu actibus humanis tota versatur: merito igitur primum sibi vindicat locum Tractatus iste, in quo actuum humanorum explanatur ratio.

CAPUT I.

DE NATURA, ET DISTINCTIONE ACTUUM HUMANORUM.

1. *Quinam dicitur actus humanus?*

Dicitur ille, qui ex voluntate deliberata procedit (*a*); nempe cum intellectus advertentia, et voluntatis consensu (*1*).

2. *Differtne ab actu hominis?*

Utique differt: nam actus humanus a voluntate deliberata procedit: actus vero hominis licet regi posset consilio et arbitrio agentis, tamen hic et nunc ponitur sine voluntatis deliberatione; veluti sunt actus primo primi, fricatio manuum sine advertentia etc. proindeque actus hominis est ille, qui fit sine advertentia et consensu, vel sine alterutro.

3. *Quotuplicis generis sunt actus humani?*

Multiplicis generis: 1. alii dicuntur eliciti, alii imperati: primi sunt illi, qui eliciuntur a voluntate, et in ea perficiuntur sine adjutorio alterius potentiæ; uti actus amoris, et odii: alteri sunt illi, qui a voluntate imperantur, et per aliam potentiam sive internam, sive externam perficiuntur; sicuti medi-

---

(*a*) *D. Thom. 1. 2. q. 1. a. 1. in corp.*

(*1*) Advertentia est mentis intelligentia de eo, quod agitur. Consensus est voluntatis operatio.

tatio, epistolæ scriptio etc. 2. Sunt interni, aut externi: primi interius animæ remanent atque complentur; tales sunt actus eliciti, et imperati per potentiam interiorem: alteri exterius prodeunt, externaque operatione consummantur; ejusmodi sunt actus imperati per potentiam exteriorem.

CAPUT II.

DE VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.

4. *Quid est Voluntarium?*

Est illud, quod procedit a voluntate cum cognitione finis (*b*); nempe cum cognitione illius, quod voluntas debet amplecti, vel respuere.

5. *Quid est volitum, et an differat a voluntario?*

Est illud, quod non semper a voluntate pendet, a voluntate tamen adprobatur, et optatur; uti pluvia, divitiæ etc. et in hoc a voluntario differt, quod omne voluntarium est volitum; at non omne volitum est voluntarium.

6. *Quotuplex est voluntarium?*

Multiplex: et 1. aliud est perfectum, aliud imperfectum: perfectum est illud, quod a voluntate procedit cum pleno consensu, et perfecta rationis advertentia: imperfectum vero est, quod procedit cum semipleno consensu, vel semiplena cognitione, sive advertentia; uti sunt actus semidormientis, semiebrii, furiosi etc. 2. Aliud est necessarium, et aliud liberum: necessarium est, quod a voluntate ad unum antecedenter determinata procedit; sicut est amor felicitatis in genere, amor Beatorum erga Deum in patria: liberum vero est illud, quod procedit a voluntate sine antecedenti determinatione ad unum, sed cum plena indifferentia; uti sunt omnes actus ab homine deliberate positi in hac vita. 3. Aliud est directum, et in se, aliud indirectum, seu in causa: primum est, in quod voluntas expresse tendit sive immediate, sive mediate: secundum, in quod voluntas

(*b*) *D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 1. in corp.*

non expresse tendit; sed vult causam, ex qua talis effectus est secuturus; talis est blasphemia in ebrio, qui solet in ebrietate blasphemare.

7. Quid est necessitas naturæ?

Est inclinatio interna, quæ propriis viribus superari non potest; uti amor felicitatis in genere: hæc tollit liberum, at non voluntarium.

8. Quid est coactio?

Est omne id, quod exterius aliquem compellit ad aliquid faciendum contra ejus voluntatis determinationem: ista tollit et liberum, et voluntarium.

9. Quid est libertas?

Est indifferentia ad agendum; seu expedita facultas, qua, habitis omnibus ad agendum requisitis, potest quis agere vel non agere, agere hoc vel aliud, agere hoc vel oppositum.

10. Quotuplex est libertas?

Duplex, libertas a coactione, quæ est immunitas ab omni exteriori vi et conatu; et libertas a necessitate, quæ est immunitas ab omni necessitate, tam externa, quam interna.

11. Quotuplex est libertas a necessitate?

Triplex est, contradictionis, specificationis, et contrarietatis: prima est facultas agendi, vel non agendi: secunda est facultas agendi hoc vel aliud, servato ordine finis; seu est illa, qua inter varia media ad finem ducentia, unum potest præ alio eligi: tertia est facultas agendi hoc, vel oppositum. In prima habetur essentia libertatis, in secunda perfectio libertatis, in tertia defectus libertatis.

12. Habetne homo libertatem a necessitate, seu liberum arbitrium?

Maxime, et patet ex Scripturis, traditione, et ratione. Quare merito Concilium Tridentinum oppositum damnavit (c*).

13. Intellectus estne liber in suis actibus?

Minime, cum sit potentia passiva a voluntate dependens.

(c*) *Sess. 6. can. 5.* Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam: anathema sit.

14. *Ad merendum, vel demerendum sufficitne libertas a coactione?*

Minime, sed requiritur libertas a necessitate; sic patet ex Scripturis (*), ex ratione, et ex tertia Jansenii famosa propositione tanquam hæretica ab Innoc. X. damnata (**).

15. *Quid requiritur, ut voluntarium indirectum imputetur ad culpam?*

Ut agens advertat, saltem in confuso, ex sua actione effectum pravum esse oriturum: ut possit, et teneatur ex lege non ponere causam, sive in se, sive ratione sui effectus. Seu requiritur advertentia, potentia, et obligatio.

16. *Actus mali, qui ex ebrietate sequuntur, suntne indirecte voluntarii, et peccaminosi?*

Vel sunt ordinarii sive in ipso agente, sive in aliis, et sunt indirecte voluntarii, atque peccaminosi; quia prævisi: vel sunt extraordinarii, et non sunt voluntarii, neque peccaminosi; cum non sint prævisi, nec moraliter prævideri possint.

17. *Quid est Involuntarium?*

Est illud, quod fit contra vel præter voluntatis determinationem; uti est quod fit per vim, vel per ignorantiam.

18. *Quotuplex est involuntarium?*

Duplex, absolute seu simpliciter, et secundum quid: primum est, quod voluntas omnino non vult, et absolute respuit: alterum est, quod voluntas non vellet, sed in præsenti occasione vult; ceu esset projectio mercium ex navi in mare ad vitandum naufragium.

19. *Quænam causæ tollunt, quænam minuunt, et quænam augent voluntarium?*

Voluntarium tollitur per vim absolutam, et ignorantiam invincibilem; et ex D. Thoma (*d*) etiam per metum gravem, et concupiscentiam antecedentem, quando ita sunt vehementes, ut omnem rationis antevertant usum: minuitur per metum, igno-

---

(*) Præsertim in Ecclesiast. cap. 31. habetur: *Beatus.... qui potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit etc.* quibus verbis aperte traditur libertas a necessitate requiri ad merendum.

(**) Propositio erat: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

(*d*) *1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. et alibi.*

rantiam vincibilem non affectatam, et per concupiscentiam antecedentem: augetur per ignorantiam affectatam, et concupiscentiam consequentem.

CAPUT III.

DE VI, ET METU.

20. *Quid est Vis?*

Est majoris rei impetus, qui repelli non potest (*e*).

21. *Quotuplex est vis?*

Duplex, absoluta nempe seu sempliciter, et secundum quid: vis absoluta, quæ et efficax vocatur, est illa, cui totis viribus interius et exterius repugnatur: vis secundum quid, seu inefficax est illa, cui non omnino resistitur. Proindeque ad constituendam vim absolutam requiritur tota resistentia ex parte membrorum, et ex parte voluntatis.

22. *An possit inferri vis actui humano?*

Vel sermo est de actibus interioribus, et dico non posse inferri; quia hujusmodi actus a vi externa non pendent: vel sermo est de actibus exterioribus, et dico posse; nam isti actus a vi externa cogi possunt contra voluntatis propensionem.

23. *Quod fit per vim estne voluntarium, et ideo peccaminosum?*

Vel vis est absoluta, et non est voluntarium, neque peccaminosum; cum adsit omnis resistentia ex parte subjecti: vel vis est secundum quid, et est voluntarium, atque peccaminosum; cum desit perfecta resistentia. Attamen vis secundum quid minuit voluntarium.

24. *Quid est Metus?*

Est istantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio (*f*).

25. *Differtne a vi?*

Maxime; nam metus afficit potentias interiores, vis exteriores; metus minuit voluntarium, et vis absoluta tollit.

(*e*) *L.* Vis 1. *D. de eo, quod metus causa eto.*

(*f*) *L.* Ait prætor 1. *D. eod.*

26. Quotuplex est metus?

Multiplex est: et 1.° alius ab intrinseco, alius ab extrinseco: primus est, qui oritur ab ipso timente ob malum a causa naturali vel fortuita proveniens: alter est, qui incutitur ab alia causa libera, puta ab homine, a dæmone etc. ad consensum obtinendum.

2.° Metus ab extrinseco potest esse justus, vel injustus: justus dicitur ille, qui incutitur ab habente jus et facultatem incutiendi, et adest causa, ob quam potest quis licite compelli ad aliquid faciendum: injustus est, quando incutitur ab aliquo non habente facultatem incutiendi, aut deest causa incutiendi.

3.° Metus vel est gravis, vel levis: gravis est, quando malum, quod timetur, est grave, et probabiliter imminet; et dicitur etiam rationabilis, prudens, et cadens in virum constantem: levis dicitur metus, quando malum est leve, vel non imminet; et talis metus dicitur etiam irrationabilis, vanus, non cadens in virum constantem.

4.° Metus gravis vel est absolutus, vel respectivus: primus concipitur ob malum, quod respectu omnium est grave; uti mors, mutilatio etc: alter concipitur ob malum, quod respectu unius censetur grave, respectu alterius reputatur leve, puta ob sexum, ætatem etc.

Denique metus vel est antecedens, vel concomitans: antecedens est ille, quo sublato actio non fieret; ideoque dicitur facta ex metu: concomitans est ille, sine quo actio facilius fieret; ideoque dicitur facta cum metu.

27. Quænam conditiones requiruntur, ut efficiatur metus revera gravis?

Sequentes: 1. ut malum, quod timetur, sit revera grave, vel saltem ita reputetur; 2. ut probabiliter immineat; 3. ut desit modus effugiendi illud malum (2).

(2) Mala gravia respectu omnium sunt mors, mutilatio, gravia verbera, exilium, captivitas, durus carcer, triremes, infamia magna indelebilis, stuprum violentum, injusta excommunicatio, amissio omnium vel majoris partis bonorum, injusta privatio dignitatis, et quæ sunt hujus generis alia; ut habetur in variis juris locis.

Si hujusmodi mala timeantur de persona nobis conjunctissima, habetur etiam metus gravis; nam quod imminet personæ nobis caræ, nobis ipsis imminere videtur, *l.* Isti quidem *8. §. ult. D. de eo, quod metus causa etc.* [*art. 1067.*] *alibique.*

28. Quinam dicitur metus reverentialis ?

Ille, quo quis veretur resistere ei, cui subjicitur.

29. Metus reverentialis estne gravis ?

Per se est levis, et talis in foro externo reputatur (*g*): per accidens fieri potest gravis in foro conscientiæ, si ei accedant minæ, preces importunæ et imperiosæ, si offensa credatur nimis duratura, damnosa, irreconciliabilis etc.

30. Metus gravis excusatne a peccato ?

Distingue: vel actio aut omissio est intrinsece mala, sive per se, sive per accidens, et non excusat; quia omni conditione et dispendio vitare tenemur quod est intrinsece malum: vel actio aut omissio talis non est, et metus gravis excusat; in his enim non tenemur cum gravi incommodo.

31. An metus gravis excuset ab adimpletione præceptorum naturalium ?

Si sermo sit de præceptis naturalibus negativis, et tunc si actio non potest cohonestari, uti in mendacio, adulterio etc. non excusat metus gravis; quia commissio est intrinsece mala: si autem actio potest cohonestari, sicut in furto in extrema necessitate, in occisione injusti aggressoris, tunc excusat; actio enim desinit esse mala. Si sermo sit de præceptis affirmativis, et tunc si actio potest differri, metus excusat; quia non urget præceptum: si vero non potest actio differri, tunc non excusat metus; nam urget præceptum, et omissio est intrinsece mala.

32. An metus gravis excuset ab adimpletione præcepti positivi?

Maxime, ordinario loquendo, sive præceptum sit divinum, sive humanum; quia talia præcepta non obligant cum gravi incommodo. Dixi *ordinario*; nam si præceptum sit circa id, quod a Deo præcipitur uti medium absolute necessarium ad salutem animæ, vel circa materiam aut formam Sacramentorum, vel respiciat bonum fidei, aut religionis, aut commune, vel ejus inobservantia vertatur in contemptum fidei, legis, aut legislatoris, aut in damnum commune, in hisce casibus non excusat metus gravis; quia commissio vel omissio est intrinsece mala.

(*g*) [*ex art. 1068.*]

33. *Metus gravis excusatne a censuris?*

Vel talis metus excusat a peccato, et excusat etiam a censuris; nam ubi deest culpa, deesse debet etiam pœna tali culpæ adnexa. Vel non excusat a peccato, et ambigitur inter theologos: nonnulli docent etiam excusare a censuris; quia censura, cum sit præceptum humanum, non obligat cum gravi incommodo; et sicut metus gravis a lege ecclesiastica excusat, ita et ab ejus pœna: alii in parte majori et probabilius contrarium tenent; quia posita culpa incurritur pœna (*3).

34. *Metus gravis excusatne a reservatione?*

Si excusat a peccato, excusat etiam a reservatione, quæ non potest esse sine peccato: si non a peccato, nec etiam a reservatione excusat (**).

35. *Valetne votum per metum gravem emissum?*

Non valet, si metus est extrinsecus, injuste incussus ad extorquendum votum; nam Deus non videtur acceptare ejusmodi votum non omnino liberum (h***).

36. *An sit obligatorium juramentum promissorium per metum gravem extortum?*

Non convenit inter Theologos: aliqui negant; quia non fuit consensus omnino liber, neque videtur Deus hujusmodi juramentum acceptare, sicuti dictum est de voto (i4): aliqui communius ajunt esse servandum; (dummodo servari possit absque damno alterius, et præjudicio salutis spiritualis) habetur enim sufficiens

(*) Eruitur etiam ex capite *Sacris* 5. de his, quæ vi metusve caussa etc. et ex propositione tertia a Benedicto XIV. damnata, quæ ajebat: *Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux, vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.*

(3) Idem dici potest, si quæstio fiat de quacumque alia pœna.

(**) At juxta priorem sententiam supra expositam, metus excusans a censura, excusat etiam a reservatione, quando ipsa censura primario est reservata, ut infra dicetur; tametsi a peccato non excuset.

(h***) *Cap.* Perlatum 1. et Cum dilectus 6. *de his, quæ vi metusve causa etc.* et licet in hisce capitibus agatur de professione religiosa; doctores tamen communiter illud extendunt ad omne votum simplex.

(i4) *Cap.* Verum 15. *de jurejur.* In hoc capite legitur: *sed, si non attenderint ea (juramenta per metum gravem extorta), non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.*

consensus, et ne videretur Deus adductus in testimonium mendacii (k5).

37. *Num metum aut vim injuste incutiens ad aliquid teneatur?*

Tenetur non solum injuriam resarcire, sed etiam omnia damna; cum ipse sit eorum causa: et hoc ante judicis sententiam.

CAPUT IV.

DE IGNORANTIA.

38. *Quid est Ignorantia?*

Est privatio scientiæ (6).

39. *Quotuplex est ignorantia?*

Multiplex: et 1.° inspecto statu personæ, ignorantia alia est negativa seu puræ negationis, quæ et nescientia dicitur, et est privatio cognitionis rerum, quas aliquis pro eo tempore et statu non est aptus ad sciendum: alia est privativa, seu privationis, et est carentia cognitionis rerum, quas aliquis potest et debet scire: alia tandem est positiva, seu pravæ dispositionis, quæ est carentia cognitionis debitæ conjuncta cum errore huic cognitioni contrario; quare dicitur etiam ignorantia contrarietatis.

2.° Respectu rei ignorantia vel est juris, vel facti, vel pœnæ · prout ignoratur lex aut præceptum; vel factum aut res, circa quam lex versatur; vel pœna a lege lata contra legis violatores.

3.° Respectu agentis ignorantia vel est invincibilis, vel vincibilis: invincibilis est illa, quam quis, adhibita morali diligentia juxta sui status et rei conditionem, vincere et superare non potest;

(k) *Ex cap.* Si vero 8. *eod. tit.*

(5) Qui affirmativam tenent partem, docent triplici modo posse quemquam se ab hujusmodi obligatione eximere; vel relaxationem petendo; vel impetrando a judice ecclesiastico aut sæculari, ut compellatur creditor ad remittendam obligationem; vel denique per momentaneam solutionem, solvendo nempe, et postea repetendo.

De contractibus per metum celebratis vide in suo loco, tract. IX. part. 1. cap. 2. sect. 1.

(6) Ignorantia differt ab errore; iste enim est contra scientiam, et illa præter scientiam. Differt etiam ab inadvertentia; quia inadvertentia est actualis, et ignorantia habitualis est scientiæ carentia.

ac proinde est involuntaria, et inculpabilis (7): vincibilis vero est illa, quam quis adhibita morali diligentia vincere et superare potest ac debet; proindeque dicitur voluntaria, culpabilis, et consequens. Quæ quidem ignorantia vincibilis alia est crassa, seu supina, et alia affectata: prima est quando quis negligit, aut parum curat scire, quod tenetur scire; et dicitur indirecte voluntaria: secunda est, cum quis consulto et ex industria non vult scire ea, quæ tenetur scire, ad facilius peccandum; et dicitur directe voluntaria.

4.° Respectu actus, qui fit ex ignorantia, alia est antecedens, alia concomitans, et alia consequens. Antecedens est ignorantia invincibilis, quæ voluntatis determinationem antecedit, ita ut, ignorantia ablata, actio omnino non fieret; quare talis ignorantia est causa actionis. Concomitans est etiam ignorantia invincibilis, non ob quam, sed cum qua fit actio, quæ adhuc fieret, imo facilius, si talis abesset ignorantia; quare non est causa actus. Consequens denique est illa, quæ sequitur voluntatem, quatenus agens non adhibet debitam diligentiam: hac sublata ignorantia, actio aliquando fieret, aliquando non; ideoque aliquoties est causa actionis, aliquoties non est.

40. *An ignorantia tollat voluntarium?*

Ignorantia antecedens tollit voluntarium; quia est causa actus, et quidquid fit per eam, fit contra voluntatis inclinationem. Ignorantia consequens crassa et supina non tollit voluntarium, cum sit vincibilis, et indirecte voluntaria: sed tantum minuit illud; actio enim per eam posita minus efficaciter intenditur. Ignorantia consequens affectata auget voluntarium, cum sit directe voluntaria ad liberius peccandum. Ignorantia denique concomitans non efficit actum voluntarium; quia a voluntate non procedit: neque efficit actum involuntarium, cum non sit contra voluntatis inclinationem; sed efficit actum non voluntarium, uti ait D. Thomas (*l*).

---

(7) Quando nulla occurrit ratio dubitandi, ignorantia erit invincibilis, etsi nulla adhibeatur diligentia.

(*l*) *1. 2. q. 6. a. 8. in corp. et q. 76. a. 1. 3. in corp. et alibi.*

41. *Num ignorantia excuset a peccato formali ?*

Ignorantia antecedens excusat; quia tollit voluntarium: ignorantia consequens non excusat; quia non tollit voluntarium: ignorantia concomitans excusat a peccato effectivo, sed non a peccato affectivo; cum conjuncta sit cum prava animi affectione (*m8*).

42. *An ignorantia vincibilis sit speciale peccatum ?*

Vel est de illis rebus, quarum cognitio per se præcipitur, seu ex speciali præcepto imponitur, et est speciale peccatum illi virtuti oppositum, a qua oritur præceptum; sicuti est ignorantia mysteriorum fidei, quæ est speciale peccatum contra fidem. Vel est de illis rebus, quarum cognitio per se non præcipitur, sed in ordine ad aliquam actionem, et non est speciale peccatum; sed sumit speciem ab actione, ad quam dirigitur cognitio; seu idem est peccatum, ac est actio aut omissio per talem ignorantiam habita, vel cujus periculo ex ignorantia agens se exponit: e. c. ignorantia in judice peccatum est contra justitiam, quando tamen judicat; quoniam judicans cum tali ignorantia, tunc contra justitiam aut revera judicat, aut judicandi periculo se exponit.

43. *An detur ignorantia invincibilis juris naturæ ?*

Vel loquimur de primis et universalibus principiis, uti sunt *Deus colendus*, *Nemo lædendus*, *Quod tibi non vis alteri ne feceris*, *Bonum faciendum*, *Malum fugiendum*, atque similia, et non datur ignorantia invincibilis; quoniam talia principia sunt per se nota, et a corde deleri non possunt, veluti ait D. Thomas. Vel loquimur de conclusionibus proximis, et immediate, clare, atque faciliter a primis principiis deductis, uti sunt præcepta Decalogi in secunda tabula contenta, et ne datur quidem; quia facile et naturaliter a generalibus principiis istæ conclusiones descendunt (9). Vel tandem loquimur de conclusionibus mediate et

(*m*) *Cap.* Requisivit *1. de ordin. ab Episcop. qui renunc. etc. cap.* Apostolicæ *9. de cler. excomm. etc. ministr. et alibi, D. August. lib. 3. de liber. arbitr. c. 18. et lib. de duabus animabus c. 10. et 11. D. Thom. cit. q. 76. a. 4. etc.*

(8) Hinc ignorantia concomitans excusat etiam ab omni externo culpæ effectu: puta a pœnis, reservatione, obligatione restituendi etc.

(9) Et si aliquando reperiatur talis ignorantia, dicenda est vincibilis et volita in sua causa, oriens ex pravis consuetudinibus ac vitiis, quæ homo potest et tenetur vitare adjutorio gratiæ.

non aperte a primis principiis deductis, sed per discursum, et potest dari ignorantia invincibilis; nonnulli enim, uti rustici, defectu scientiæ ac mentis hebetudine, capaces non sunt ratiocinationis et discursus.

44. *In hypotesi quod detur ignorantia invincibilis juris naturæ, peccatne formaliter, qui illud violat ex tali ignorantia?*

Minime; quia ignorantia invincibilis tollit voluntarium, et non habetur peccatum, nisi voluntarium: patet etiam ex prop. 2. ab Alex. VIII. damnata (*).

45. *An detur ignorantia invincibilis juris positivi divini?*

Si sermo est de præceptis moralibus, quia ista eadem sunt ac præcepta naturalia, vel ad illa revocantur, idem dicendum, quod superius dictum est de jure naturæ. Si autem loquimur de præceptis cerimonialibus et credibilibus, dari potest ignorantia invincibilis in iis locis, in quibus Evangelium non est sufficienter annunciatum (**). Hinc damnata fuit thesis 68. Baji ab Urbano VIII. *Infidelitas negativa in iis, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

46. *Potestne dari ignorantia invincibilis juris humani?*

Maxime; nemo enim reperiri potest, qui omnes sciat civiles et canonicas leges.

47. *Daturne ignorantia invincibilis in proprio statu, officio, aut munere?*

Circa casus obvios et ordinarios non datur; quisque enim in munere tenetur tales casus scire: circa casus implicatiores et extraordinarios dari potest, ob contrariam rationem.

48. *An ignorantia legis excusat a peccato?*

Ignorantia invincibilis excusat; quia tollit voluntarium: vincibilis non excusat, ex ratione contraria.

49. *Ignorantia legis excusatne a pœna?*

Si hæc ignorantia excusat a culpa, quatenus est invincibilis,

(*) Quae ajebat: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operationem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

(**) Quare Apostolus ad Rom. 10. 14. ait: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? etc.*

et excusat a pœna; ubi enim deficit culpa, deficit et pœna (*n*). Si vero a culpa non excusat, quatenus vincibilis est, regulariter non excusat a pœna; quia adest culpa (*10*). Dixi *regulariter;* nam si in lege adsint particulæ *Scienter*, *Temere*, *Præsumptuose*, vel aliæ hujusmodi, tunc quia lex requirit plenam scientiam, excusat a pœna ignorantia vincibilis crassa et supina: affectata vero non excusat; quia æquiparatur scientiæ, et cum sit directe voluntaria, nullam admittit excusationem.

50. *Ignorantia solius pœnæ excusatne ab ipsa pœna?*

Minime, regulariter loquendo; quoniam habetur culpa, quam legislator vult punire. Dixi *regulariter loquendo;* excipitur enim censura, in qua requiritur contumacia: et excipitur etiam pœna extraordinaria et exorbitans; nam sicut per talem ignorantiam minuitur culpa, ita et pœnæ rigor.

51. *Ignorantia censuræ excusatne ab illa?*

Si est invincibilis sive juris, sive facti, et excusat; quia non habetur contumacia, quæ ad incurrendam censuram requiritur (*o*). Si vero est vincibilis, ordinario non excusat; quia cum sit voluntaria, continet sufficientem contumaciam (*p*). Dixi *ordinario;* nam si in emanatione censuræ adsint particulæ *scienter*, *consulto*, *temerario*, *ausu*, *etc.* tunc ignorantia vincibilis crassa et supina etiam excusat, cum legislator requirat plenam scientiam et contumaciam: non vero excusat ignorantia affectata, omissa contraria sententia; ista enim æquiparatur scientiæ (*q*).

52. *Quid si ignorantia sit vincibilis, sed leviter culpabilis, an excuset a censura?*

Maxime; quia ignorantia leviter culpabilis ut invincibilis reputatur (*11*).

(*n*) *Cap.* Si vero 4. *de sent. excomm. et cap.* Ut animarum 2. *de constitution. in 6.*

(*10*) Probabile est in foro interno pœnas non incurrere eum, qui invincibiliter ignorat legem humanam aliquid sub pœna prohibentem vel præcipientem; etiamsi sciat hoc idem esse jure naturali aut divino prohibitum vel præceptum: in casu enim non habetur transgressio illius legis, nempe humanæ, a qua emanat pœna.

(*o*) *Cit. cap.* Ut animarum. (*p*) *Arg. cit. cap.* Si vero, *et* Ut animarum.

(*q*) *Ex cap.* Eos qui 2. *de temp. ordinat. in 6. alibique.*

(*11*) Si quis sciat aliquid esse ab Ecclesia prohibitum vel præceptum, sed invin-

53. *Ignorantia invincibilis solius reservationis excusatne ab illa?*

Ex veriori sententia sic est distinguendum: Si casus reservatus est absque censura, ignorantia excusat a reservatione, semper ac excusat a peccato; nam ipsum peccatum est reservatum. Si vero casus cum censura sit reservatus, tunc si est a Papa vel a jure communi reservatus, ignorantia excusans a censura, excusat etiam a reservatione, quamvis non excuset a peccato; quia summus Pontifex casus reservat principaliter ratione censuræ: si vero reservatio est ab Ordinario facta, tunc ignorantia a reservatione excusat, quando excusat ab ipso peccato: quod si hæc ignorantia excuset tantum a censura, et non a peccato, ne a reservatione quidem excusat; Ordinarius enim casus reservat principaliter ratione peccati.

54. *Ignorantia invincibilis irregularitatis excusatne ab illa?*

Vel irregularitas est ex defectu, et ignorantia invincibilis non excusat ab illa, juxta omnes; quia est simplex inhabilitas, quæ contrahitur etiam insciente subjecto. Vel est ex delicto, et excusat ab irregularitate, semper ac excusat a peccato: quando a peccato non excusat, quæstio est: alii valde probabiliter negant; quia irregularitas est simplex pœna non requirens contumaciam, ceu censura: alii vero affirmant; quia est pœna extraordinaria et exorbitans.

55. *Ignorantia invincibilis legis irritantis* (12) *excusatne ab irritatione?*

Vel lex irritat actum ob bonum commune, et non ob culpam (quod idem est dicere ob præsumptionem periculi, et non facti), et non excusat; quoniam adest semper periculum, ne quid

---

cibiliter ignorat esse prohibitum aut præceptum sub censura, an iste a censura excusetur, quæstio est. Aliqui dicunt non excusari, si censura lata sit per legem pontificiam, aut canonem universalem; secus vero, si censura lata sit ab Ordinario, aut per statutum particulare. Sed cum communiori et probabiliori sententia dicendum, quod excusetur; nam iste revera non est contumax, quando ex ignorantia invincibili non est præmonitus de pœna legis violatori imposita, nec habetur contemtus censuræ: patet etiam ex can. *Proposuisti* 2. distinct. 82. et cap. *Cognoscentes* 2. de constit.

(12) Illa dicitur lex irritans, quæ invalidum reddit aliquem actum vel contractum, utpote destitutum requisitis a lege: cujusmodi est lex Tridentini nullum faciens matrimonium sine parochi testiumve præsentia.

fiat contra bonum commune: vel lex irritat ob vindictam culpæ, nempe ob præsumptionem facti, seu fraudis, et tunc ignorantia si excusat a culpa, excusat etiam ab irritatione; alias non excusat (13).

56. Qui recipit beneficium cum ignorantia invincibili simoniæ ab alio commissæ, potestne illud retinere?

Minime, cum talis collatio ipso jure sit irrita (r): nam ignorantia excusat a culpa, non vero dat valorem actui, qui est ipso jure irritus ex culpa illorum, qui simoniam commiserunt.

57. Danturne casus, in quibus est valida hujusmodi collatio?

Maxime, et 1. quando eligendus sciens simoniam ante collationem conatus est eam avertere, et postea bona fide beneficium recepit (s). 2. Quando simonia commissa fuit in odium illius, qui eligendus erat; nam alterius odio quis prægravari non debet (t).

58. Danturne casus, in quibus collatio est nulla, etiamsi beneficiarius simoniæ contradixerit?

Adsunt sequentes: 1. quando post contradictionem sciens simoniam, vel dubitans beneficium recipit. 2. Quando pecuniam ab alio solutam vel promissam ipse reddit ante collationem; quia tunc approbatur simonia, et habetur uti mandatum (u). Dixi *ante collationem*; nam si pecuniam solvit post collationem, quamvis ante possessum, valet collatio; quoniam adest bona fides in receptione beneficii, et possessus est accessorius: ita Layman cum aliis.

59. Qui recipit beneficium bona fide per simoniam ab alio commissam, potestne illud præscribere?

Maxime per triennalem possessionem, ex reg. 36. Cancellariæ de triennali possessione.

60. Ignorantia excusatne a restitutione damni illati?

Si est antecedens, vel concomitans, excusat; deest enim culpa

---

(13) Hinc non valet testamentum sine substantialibus solemnitatibus, matrimonium clandestinum etc. etiam cum ignorantia invincibili; quia hæc irritantur ob bonum commune. E contraria ratione beneficiarius facit suos fructus beneficii, si absque culpa omittat recitationem horarum canonicarum, quicquid pauci sentiant: si vero culpabiliter omittat hanc recitationem, fructus non facit suos, etiamsi invincibiliter ignoret legem irritantem.

(r) *Extravag.* Cum detestabile 2. *de simonia.* (s) *Ex cap.* Sicut tuis 33. *de simonia etc.*

(t) *Cap.* Nobis fuit 27. *eod.* (u) *Cit. cap.* Sicut tuis.

externa: si autem est consequens, non excusat; quia habetur culpa (x).

61. An ignorantia possit prodesse ad præscriptionem?

Vincibilis nunquam; etenim deest bona fides ad præscribendum requisita. Invincibilis autem si est facti, prodest; quia habetur bona fides: si est juris, non prodest; ita enim statutum est in jure, a quo tota pendet vis præscriptionis (*).

62. Dantur ne casus in quibus ignorantia juris prodest ad præscribendum?

Maxime, juxta plurimos, et 1.° si ignorantia sit circa jus obscurum et dubium, de quo diversæ adsunt doctorum opiniones; quia æquiparatur ignorantiæ facti: 2.° si ignorantia sit omnino inculpabilis; uti in milite, rustico, in minore non habente copiam consultoris. Ita Abbas, Covarruv. Layman, et alii.

CAPUT V.

DE CONCUPISCENTIA.

63. *Quid est Concupiscentia?*

Est commotio appetitus sensitivi aliquod objectum prosequentis (*14*).

64. Quid est appetitus sensitivus, et quot ejus partes?

Est animæ inclinatio in bonum aliquod peculiare, quæ sensuum cognitionem sequitur (*y*). Partes ejus, seu species sunt duæ, Concupiscibilis, et Irascibilis: prima est, per quam Anima inclinatur ad prosequendum ea, quæ sunt convenientia secundum sensum, et ad fugiendum nociva: altera vero, per quam Anima resistit impugnantibus, seu nos impedientibus in dictis operationibus (*z*).

(*x*) *Cap.* Si culpa *9. de injur. et damno dato.*

(*) Et revera l. 4. D. *de juris, et facti ignorantia* habetur: *Juris ignorantiam in usucapionibus negatur prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat*: idem habetur in pluribus aliis legibus.

(*14*) Hic accipitur concupiscentia non prout est propensio ad malum, seu fomes peccati; sed prout est actus appetitus sentientis.

Hinc potest esse bona, vel mala, vel indifferens, prout est objectum.

(*y*) *D. Thom. 1. p. q. 81, a. 2. in corp.* (*z*) *Idem ibid.*

65. *Quotuplex est concupiscentia?*

Antecedens, et consequens: antecedens dicitur, quæ naturaliter exurgit in nobis, sine prævia voluntatis determinatione: veluti est commotio sensitiva in eo, cui mulier pulchra visu per accidens occurrit: consequens est, quæ a voluntate directe vel indirecte excitatur in appetitu sensitivo; uti est commotio in eo, qui mulieris vultum, colorem, pulchritudinem etc. dedita opera meditatur.

66. *An concupiscentia tollat voluntarium?*

Consequens non tollit, imo auget voluntarium; quia ex tali concupiscentia majori intensione quisque fertur ad actum (15). Antecedens minuit voluntarium, ordinario loquendo; quia impedit intellectum, ne clare cognoscat singula in actu, et minuit indifferentiam voluntatis, eam alliciens (16). Dixi *ordinario loquendo*; nam si concupiscentia tam vehemens et repentina est, ut omnem rationis usum penitus absumat (uti accidit in motibus primo primis), tunc tollit voluntarium.

67. *Concupiscentia mala estne peccatum?*

Si loquimur de ipsa concupiscentia, seu de fomite, et non est peccatum; sed a peccato est, et ad peccatum inclinat, sicuti declaravit Conc. Trid. sess. 5. can. 5. Si autem loquimur de actibus suis inordinatis, et sic distinguendum: si hujusmodi actus sunt primo primi, non sunt peccaminosi; quia omnem rationis advertentiam, et voluntatis consensum antecedunt; et patet ex prop. 75. a Pio V. proscripta (*): vel sunt secundo primi, et tunc sunt leviter peccaminosi, quamvis materia sit gravis; habent enim semiplenam advertentiam, et semiplenum consensum: si denique sunt plene deliberati, et sunt peccaminosi graviter vel leviter, prout materia est; quia ponuntur cum plena deliberatione (a ✱).

---

(15) Minuit tamen ratione minoris indifferentiæ. At non minuit, immo auget actionis malitiam; quia volita est et ipsa concupiscentia, et actio majori propensione, *D. Thom. 1. 2. q. 77. a. 6. in corp.*

(16) Sed auget voluntarium ratione majoris propensionis, *D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 7. in corp.*

(*) Quæ ajebat: *Motus gravis concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto* Non concupisces.

(a) *D. Thom. de Malo q. 7. a. 6. et alii communiter.*

(✱) Sub motu deordinatæ concupiscentiæ, aliusve tentationis, post intellectus

At omnis hæc doctrina valet tantum de concupiscentia antecedenti: nam concupiscentia consequens circa malum cum suis actibus (dummodo sint aliquo modo prævisi) semper vitiosa est, cum sit voluntaria.

CAPUT VI.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

68. *Quid est Moralitas actus humani?*

Est quidam respectus, seu ordo, quem habet actus ad morum regulam.

69. *Quænam sunt species moralitatis?*

Tres, bonitas, malitia, et indifferentia: si actus est conformis morum regulæ, dicitur bonus: si est difformis, dicitur malus: si autem neque conformis, neque difformis est, dicitur indifferens.

70. *Quotuplex est indifferentia?*

Duplex, objectiva, seu in specie, et subjectiva, seu in individuo: objectiva, quando objectum actionis est neque bonum, neque malum; uti manducatio, ambulatio etc. subjectiva, seu in individuo, quando actio in se indifferens ponitur ex voluntatis determinatione neque bona, neque mala.

---

advertentiam potest voluntas vel positive consentire, vel positive resistere, vel negative se habere, scilicet neque consentire, neque resistere. In primo casu peccat, prout est materia. In secundo non peccat, imo meretur. In tertio aliqui dicunt peccare mortaliter, si materia est gravis: alii tenent ne venialiter quidem peccare; alii denique ex vera sententia docent peccare venialiter, etsi materia sit gravis; cessante tamen delectatione, et ejus periculo, *D. Thom. 2. 2. q. 74. a. 4. in corp. et alibi, cum aliis innumeris.* Dixi *cessante delectatione etc.* aliter tenemur sub gravi positive resistere, modo gravis sit materia.

Ad repellendas tentationes media sunt cogitatio de Passione J. C. vel de Novissimis, vel de cruciatu remorsus, quem patitur Anima post peccatum: magis est necessarium ad orationem recurrere, et auxilium implorare a Domino, a Virgine Immaculata, a Sanctis etc. præ omnibus præstat confidenter invocare dulcissima et potentissima Nomina Jesu, et Mariæ: maximum autem remedium est ferventem erga Deum amoris actum elicere. Sufficit etiam animum ad aliud advertere; proponere nunquam se consentire: et aliquando melius est hujusmodi tentationes contemnere, quam eis positive resistere; puta si sint leves et continuæ, si resistendo magis excitentur, si molestum foret jugiter illas repellere etc. præsertim si qui illas patitur timoratæ sit conscientiæ.

71. *Daturne actus indifferens?*

Objective datur; quia habentur objecta neque bona, neque mala (*b**). Subjective non datur; omnia enim ad Deum, finem ultimum, sunt dirigenda; cum teneamur illum diligere amore prælationis (**): quare actus, qui in objecto esset indifferens, vel dirigitur ad finem honestum, et erit bonus: vel non dirigitur, et erit malus (*c*). Non desunt tamen alii aliud non recte sentientes(*17*).

72. *Actus moralis differtne ab actu humano?*

In adultis non differt, ex superiori doctrina: in pueris autem potest differre; nam pueri quamvis agant ex deliberatione voluntatis, non semper habent cognitionem moralitatis suarum actionum; ideoque ponunt actum humanum, sed non moralem: ex D. Thoma.

73. *Unde desumitur bonitas vel malitia actionis?*

Primaria ex objecto; secundaria ex circumstantiis, inter quas primum obtinet gradum finis extrinsecus (*d 18*).

74. *Danturne casus, in quibus bonitas vel malitia primario desumitur ex circumstantiis?*

Maxime; et primo quando actio ex objecto bona fit ex fine malo, tunc malitia primario desumitur ex fine; uti est audire Missam ob vanam gloriam. Secundo quando actio objective est indifferens, tunc a fine, vel ab alia circumstantia bona aut mala desumit primario bonitatem, vel malitiam.

75. *Quid requiritur, ut actus humanus bonitatem malitiamve desumat ex circumstantiis?*

Requiritur, ut istæ circumstantiæ aliquo modo prævideantur, et intendantur ab agente (*19*).

(*b*) *S. Hieron. epist. 89. S. Thom. in 2. dist. 40. q. 20. a. 8.*

(*) Quod et patet ex damnatione articuli 16. Ioannis Hus in Conc. Const. sess. 15. affirmantis *quod nulla sint opera indifferentia.*

(**) Constat etiam ex Scripturis, præsertim ex 1. Cor. 10. 31. ubi Apostolus ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

(*c*) *S. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. in corp.*

(*17*) Vide alia de hoc dicenda in VI. tract. part. III. cap. II. in fine.

(*d*) *S. Thom. ibid. a. 2. 3. 4. et 6. in corp.*

(*18*) Quare moralitatis principia sunt *objectum* et *circumstantiæ.*

(*19*) In tract. IV. part. I. cap. IV. exponitur doctrina de circumstantiis.

76. *Bonitas finis extrinseci tollitne malitiam pravæ actionis?*

Minime, cum bonum debeat esse ex integra causa, et ex D. Paulo ad Rom. 3. non sunt facienda mala, ut eveniant bona: attamen minuit malitiam.

77. *Circumstantia leviter mala tollit ne totam bonitatem actionis?*

Vel hæc circumstantia est causa actionis bonæ, et tollit; quia totam vitiat actionem: vel non est causa actionis, sed illam comitatur, et non tollit, sed minuit bonitatem.

78. *Actus exterior affertne novam malitiam vel bonitatem actui interiori; et an sit in confessione exprimendus?*

Vel loquimur de malitia aut bonitate nova formali, scilicet diversæ speciei, et nego; nam actus exterior est ejusdem speciei, ac interior, cum ambo idem respiciant objectum: vel loquimur de malitia aut bonitate nova in intensitate, et concedo; quia malitia aut bonitas per actum exteriorem augetur magis, et fit intensior in eadem specie (*e*). Ideoque est in confessione actus externus exprimendus, ut Confessarius efformet perfectum judicium de peccato, et ob censuras, aliasque pœnas, vel restitutionis obligationes, quæ nonnisi ex actu exteriore incurruntur: in contrarium adest prop. 25. ab Alex. VII. damnata (*).

79. *Quænam sunt morum regulæ?*

Duæ; una primaria et remota, seu materialis; et hæc est lex: altera secundaria et proxima, seu formalis; et est conscientia: ex D. Thoma (*f*).

(*e*) *D. Thom. loc. cit. q. 2. a. 4. et alibi.*

(*) Propositio erat: *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens:* Commisi grave peccatum cum soluta contra castitatem, *non explicando copulam.*

(*f*) *1. 2. q. 71. a. 6. in corp.*

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

Ex D. Thoma duplex est regula humanarum actionum; proxima, quæ est mentis ratio, seu conscientia; et remota, quæ est lex. Consulto igitur tractatui de actibus humanis subnectitur hic de conscientia: in sequenti sermo erit de lege.

CAPUT I.

DE GENERALI CONSCIENTIÆ NOTIONE, ET DISTINCTIONE.

1. *Quid est Conscientia?*

Conscientia, sic dicta quasi cordis scientia ex D. Bernardo (*a*) definitur a D. Thoma dictamen rationis applicatum ad opus; seu judicium actuale et practicum dictans quid in particulari sit agendum, vel omittendum (*b**).

2. *Quid est synteresis?*

Est habitus naturalis intellectus, qui per prima et universalia principia nobis ingenita præbet facilitatem cognoscendi quid bonum quid malum sit in genere morum; ideoque nos inclinat ad bonum, et retrahit a malo.

3. *Differtne conscientia a synteresi?*

Maxime: prima est actus, secunda est habitus: prima agit de conclusionibus, secunda de principiis; proindeque illa est fallibilis, hæc infallibilis (*c*).

4. *Quotuplici modo dictat conscientia?*

Vel sub præcepto, quando dictat aliquid faciendum aut omit-

(*a*) *Lib. de Conscientia cap. 8.* (*b*) *1. q. 79. a. 13. in corp. et ad 1. ac 1. 2. q. 19. a. 5. in corp.*

(*) Hinc dici potest quidam syllogismus, cujus major est lex, minor est ipsum peculiare factum, consequentia est sententia, seu conclusio utrum sit licitum vel non.

(*c*) *S. Thom. q. 16. de Synt. et q. 17. de Conscientia.*

tendum sub peccato: vel sub consilio, quando dictat absque peccato, sed ad majus meritum: vel denique sub permissione, quando dictat aliquid non esse de præcepto, neque de consilio (*).

5. *Quænam differentia intercedit inter conscientiam dictantem malum fugiendum, et conscientiam dictantem bonum faciendum?*

Hæc differentia, quod prima semper dictat sub præcepto; altera dictat aliquando sub præcepto, aliquando sub consilio.

6. *Quotuplex est conscientia?*

Ex parte actus esse potest antecedens, vel consequens: antecedens dicitur, quæ de actionibus futuris ratiocinatur: consequens vero, quæ de præteritis et jam patratis agit (**). Ex parte objecti alia est recta, alia erronea: ex parte agentis potest esse certa, probabilis, dubia, perplexa, et scrupulosa: de istis in sequentibus capitibus dicetur.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA RECTA, ET ERRONEA.

7. *Quænam est conscientia recta?*

Est illa, qua ex veris principiis veras conclusiones deducimus: seu judicium practicum legi conforme (*1*).

8. *Quotuplex est conscientia recta?*

Duplex, una dicitur speculative et practice recta, alia tantum practice recta: prima habetur, quando id quod dictat conscientia, revera est tale ex parte rationum, et ex parte rei: altera habetur, quando id quod dictat, tale est ex parte rationum, sed non ex parte rei (***).

(*) Quando dictat aliquid faciendum sub peccato, dicitur conscientia *instigans*: si dictat aliquid omittendum sub peccato, dicitur *revocans*: si denique dictat sub consilio, vocatur conscientia *admonens*.

(**) Hæc conscientia consequens si opera præterita accusat et damnat tanquam mala, vocatur *remorsus*, seu conscientia remordens, et mala: si vero ea approbat et absolvit, dicitur *testimonium bonæ conscientiæ*, seu conscientia excusans, et bona.

(*1*) Hæc conscientia dicitur etiam vera, sicut conscientia erronea dicitur falsa.

(***) Talis fuit illa Jacobi accedentis ad Liam pro Rachele ita secum discurrentis: *Licet ad propriam uxorem accedere: sed hæc est Rachel mea uxor: ergo licet ad eam accedere.* At erravit in facto; illa enim erat Lia, non Rachel.

9. *Peccatne qui agit contra conscientiam rectam dictantem sub præcepto?*

Maxime; nam ex Apostolo ad Rom. 14. habetur: *Omne, quod non est ex fide*, idest ex conscientia, *peccatum est*: iste enim agit contra regulam proximam suarum actionum: et *quicquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam*, ait Innocentius III. (*d*).

10. *Quomodo peccat, graviter an leviter, qui agit contra conscientiam rectam dictantem sub præcepto?*

Peccat graviter, vel leviter, prout est materia, quam conscientia dictat (2). Quod si conscientia dictet in genere et confuse, probabilius aliqui tenent istum peccare graviter; quia exponit se periculo proximo peccandi graviter, et præsumitur velle illud peccatum, etiamsi sit grave.

11. *Num agere contra conscientiam rectam sit speciale peccatum distinctum ab eo, quod contra legem vel præceptum committitur?*

Minime; conscientia enim præcipit aut prohibet ex eodem motivo formali ac lex, seu præceptum.

12. *Quænam est conscientia erronea?*

Est illa, quæ dictat esse licitum, quod revera lege prohibetur; vel esse illicitum, quod a lege permittitur: nempe est judicium practicum legi difforme.

13. *Quotuplex esse potest conscientia erronea?*

Duplex esse potest, vincibilis, vel invincibilis: vincibilis est illa, quæ procedit ex errore, qui adhibita morali diligentia vinci et superari potest; ideoque voluntaria est, et culpabilis: invincibilis est, quæ procedit ab errore, qui adhibita morali diligentia vinci et superari non potest; proindeque involuntaria et inculpabilis est.

14. *Peccatne, qui agit contra conscientiam erroneam?*

Maxime, sive error sit vincibilis, sive invincibilis; quoniam agit contra putatam regulam proximam suarum actionum.

15. *Cujus generis peccatum iste committit?*

Committit peccatum illius speciei et gravitatis, quam intel-

(*d*) *Cap.* Litteras 13. *de restitut. spoliat.*

(2) Idem dicendum de specie peccati.

lectus judicat; intentio enim specificat actum. Hinc si quis habet copulam cum soluta, putans esse uxoratam, adulterium committit.

16. Quid requiritur, ut agens contra conscientiam erroneam revera peccet?

Requiritur 1. ut sit conscientia revera erronea, et antecedens; non vero scrupulus, aut post actum: 2. ut sit conscientia præcipiens, aut prohibens; non vero consulens: 3. ut actio aut omissio, quæ fit contra conscientiam, sit libera.

17. Inciditne in pœnas ille, qui ex erronea conscientia credit eas incurrere, dum pœnæ revera non adsunt, vel non adest factum, cui sunt pœnæ adnexæ?

Minime; quia pœnæ feruntur contra violatores legis veræ, non putativæ.

18. Utrum peccet, qui agit juxta conscientiam erroneam?

Si conscientia est invincibiliter erronea, dico non peccare; quia error est involuntarius. Si conscientia est vincibiliter erronea, subdistinguo: quando hæc conscientia id, quod est licitum, dictat sub præcepto, cum nullum adsit præceptum, agens juxta hanc conscientiam non peccat; iste enim agit licitum, quamvis ad illud non teneatur (*). Si vero conscientia vincibiliter erronea dictat uti licitum, quod illicitum est, agens juxta illam peccat; cum sit voluntarius error.

19. Cujus speciei et gravitatis peccatum sic agens committit?

Peccatum illius speciei et gravitatis, cujus est actio, vel omissio: nam ex culpa sua non cognoscit hujusmodi malitiam.

20. Ad quid tenetur ille, qui erronea vincibili laborat conscientia?

Tenetur illam prudenter deponere, diligentia, studio, consilio, precibus, et aliis mediis opportunis.

21. Debetne Confessarius monere pœnitentem erronea conscientia laborantem?

Cum distinctione: vel conscientia est vincibiliter erronea, et tenetur Confessarius illum monere ac instruere, ut eam deponat, antequam absolvatur; aliter esset indispositus ad absolutionem,

---

(*) E. g. quis ex conscientia erronea vincibili credit obligari ad Missam audiendam, nulla adhibita diligentia, Missam audit, iste non peccat.

quia manet in errore voluntario. Vel conscientia invincibiliter est erronea, et subdistinguo: si hæc conscientia versatur circa illa, quorum ignorantia pœnitentem reddit absolutionis incapacem, et dico teneri Confessarium pœnitentem monere; quia pœnitens in tali errore absolvi non potest; et oppositum est damnatum ab Innoc. XI (*). Item tenetur Confessarius pœnitentem monere, si adsit spes emendationis; si error sit de illis, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem (3), vel valorem sacramenti, aut cedat in damnum commune. Extra allatos casus dissentiunt doctores: aliqui dicunt non teneri Confessarium; quia tunc in pœnitente peccatum materiale transiret in formale: alii vero minus probabiliter dicunt etiam teneri; quia tale est ejus officium. At omnes ferme communissime docent dissimulandam esse invincibilem ignorantiam impedimenti matrimonii jam contracti, si ejus manifestatio nihil prosit: et idem dicunt de effectibus censuræ (4).

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA CERTA, ET PROBABILI.

22. *Quænam est conscientia certa?*

Est illa, qua prudenter firmiterque judicamus hic et nunc in agendo, sine formidine de opposito (5).

(*) Prop. 64. quæ ajebat: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei.*

(3) Res dicitur necessaria necessitate medii seu finis; qua etiam inculpabiliter omissa vel ignorata, salus æterna obtineri nequit: necessaria vero necessitate præcepti dicitur, quam sob peccato tenemur exequi vel scire; at ista inculpabiliter omissa vel ignorata, salus æterna obtineri potest.

(4) Non desunt Doctores merito asserentes dissimulandum esse impedimentum matrimonii etiam contrahendi, donec obtineatur dispensatio, si Confessarius certo moraliter desperet monitionem esse profuturam: sed de hoc vide dicenda in XIII. tract. num.263.not.(77).Idem dici potest, cum agitur de alio Sacramento, vel de bono communi.

(5) Hic agitur de certitudine morali, quæ oritur ex probabilibus rationibus; non vero de certitudine supernaturali, aut metaphysica, vel physica.

Quale judicium quando non venit ad praxim, sed respicit actionem in genere, dicitur opinio: e. g. Utrum licitum sit die festo piscari; en opinio: utrum hic et nunc, cum sit dies festus, licitum sit piscari; en conscientia.

23. *Requiriturne conscientia moraliter certa in agendo?*

Maxime, et habetur ex Apost. ad Rom. 14. 23. *Omne quod non est ex fide peccatum est*; aliter quis ageret sine debita prudentia, et se exponeret periculo peccandi.

24. *Quænam est conscientia probabilis?*

Illa, qua quis ex gravibus rationibus, sed non omnino certis, adhæret uni parti cum formidine de opposito.

25. *Quotuplex est conscientia seu opinio probabilis?*

Dividitur 1. in probabilem ab intrinseco, et probabilem ab extrinseco: prima est quando nititur rationibus: secunda, quando nititur doctorum auctoritate; hæc vocatur proprie opinio communis. 2. Dividitur in conscientiam levis probabilitatis, et veræ probabilitatis: prima est quæ nititur levibus rationibus: altera est quæ nititur gravibus rationibus. Hæc subdividitur in probabilem, probabiliorem, et probabilissimam, prout sunt rationes graves, graviores, gravissimæ: si autem nititur auctoritate doctorum, subdividitur in communem, communiorem, et communissimam, prout est auctoritas.

26. *Quænam opinio dicitur tuta?*

Illa quæ favet legi: hæc dicitur tuta, quia excludit omne periculum peccandi, tam formale, quam materiale (6).

27. *An liceat sequi opinionem probabilem?*

Vel opinio est tenuis probabilitatis, et non licet eam sequi; quia imprudenter agitur, et constat ex prop. 3. ab Innoc. XI. proscripta (*). Vel est veræ probabilitatis, et distinguo: si est sola, licet; quia prudenter agitur: si autem est in concursu cum alia opinione, tunc si probabilior stat pro libertate, et probabilis pro lege, per omnes tam probabilistas, quam probabilioristas licet sequi probabiliorem pro libertate; quia prudenter

(6) Dari potest opinio magis probabilis, et minus tuta, quæ nempe nititur gravioribus rationibus, at legi non favet. Si vero opinio legi favens nititur minoribus rationibus, quam contraria, erit magis tuta, et minus probabilis. Quando denique et legi favet opinio, et gravioribus, quam contraria, rationibus innititur, tuta dicitur, et magis probabilis.

(*) Quæ ajebat: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeamus, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

agitur, et in contrarium adest prop. 3. ab Alex. VIII. damnata (*7): excipiuntur tamen nonnulli casus, ut infra dicetur: si autem probabilis stat pro libertate, æque probabilis vel probabilior pro lege, en quæstio magnis animis inter Theologos agitata. Probabilioristæ ajunt nos teneri sub peccato sequi probabilem vel probabiliorem pro lege, relicta probabili pro libertate; quia removendum est omne periculum peccati, tam formale, quam materiale, et in dubiis tutior pars est eligenda (e). Probabilistæ autem sic distinguunt: si possidet lex, sequi tenemur opinionem pro lege: si vero possidet libertas, possumus sequi opinionem pro libertate, ex juris reg. *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio* (8). Attamen excipiunt probabilistæ nonnullos casus, in quibus non licet sequi probabilem pro libertate, ut infra.

28. In quibus casibus tenemur sequi opinionem tutam, relicta probabiliori?

In hisce casibus: 1. In materia Sacramentorum, uti patet ex prop. 1. ab. Innoc. XI. damnata (**); quia valor sacramenti non pendet a rationibus, sed ab institutione Christi. 2. In iis, quæ sunt de necessitate medii ad salutem; nam his omissis etiam inculpabiliter, salus æterna obtineri non potest. 3. In materia justitiæ in causis civilibus, sicuti ex prop. 2. ab Innoc. XI. damnata (***9) (quidquid aliqui dicant de æqua probabilitate ju-

---

(*) Quæ erat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

(7) Hinc patet non teneri semper opinionem tutam sequi, probabiliori relicta.

(e) *Uti ex cap.* Illud Dominus *5. de cleric. excomm. minist. et ex aliis cap.*

(8) Et ex doctrina D. Thomæ 1. 2. q. 19. a. 4. ad 3. et quæst. 17. de Verit. art. 3. lex dubia certam non inducit obligationem. Accedit hæc alia ratio, quod jus certum non desinit per incertum: quare si lex possidet jus suum certum, eo non potest expoliari per incertam libertatem; et e contrario si libertas possidet jus suum certum, non debet eo expoliari per legem incertam.

Possessio stat pro parte, pro qua stat præsumptio. Præsumptio vero stat pro ea parte, quæ non tenetur factum probare; sed onus probandi transfert in alteram partem: *factum enim non præsumitur, nisi probetur, l. 2. de probation.*

(**) Propositio erat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

(***) Hæc ajebat: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

(9) Est tamen parti favendum 1.° si jus sit positive probabilius: 2.° si agatur

*

ris) ; adest enim damnum tertiæ personæ. Dixi *in causis civilibus*; quoniam in judicio criminali, si nullum adest præjudicium tertiæ personæ, potest judex sequi probabilem in favorem rei, relicta tuta; nam ex regul. 11. juris in 6. *Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* 4. In materia medicaminum; quia medicamina non a rationibus, sed a natura efficaciam repetunt, et vita hominis, de qua agitur, majorem exigit securitatem. Idem dicito quando agitur de victoria obtinenda in bello.

29. *Licet ne aliquando administrare sacramenta cum opinione probabili?*

Maxime, et est casus extremæ necessitatis, et haberi non possunt certa ad valorem sacramenti, tunc licet, imo tenemur sequi opinionem probabilem; in casu enim opinio est sola, et per accidens fit probabilissima. Administrandum tamen est sacramentum sub conditione, ne illud nullitati exponatur.

30. *Num sit licitum sequi opinionem probabilem quoad ea, quæ spectant jurisdictionem ministri in sacramentis?*

Videndum: si jurisdictio requiritur tantum ad exteriorem Ecclesiæ ordinem, sicuti in Baptismo, Confirmatione etc. potest quis sequi opinionem probabilem; prudenter enim agit, nec frustrationi Sacramentum exponit. Si autem jurisdictio requiritur ad valorem Sacramenti, ut in Pœnitentia, dissident Doctores: aliqui dicunt posse quem sequi opinionem probabilem; quia propositio damnata intelligenda est de illis, quæ sunt de jure divino requisita ad Sacramentum, nempe de forma, et materia, in quibus nihil potest Ecclesia; non vero de jurisdictione, cujus concessio, extensio, vel limitatio pertinet ad Ecclesiam, quæ supplet in tali casu (10). Alii sustinent non licere; nam etsi de jure humano sit

---

pro validitate matrimonii jam contracti: 3.° si pars, præter æquales rationes, bona fide possideat; si vero rationes actoris probabiliores sunt, quam possessoris, tunc variant Theologi: putarem posse judicem in casu pro medietate rem adjudicare, si actoris rationes sint positive probabiliores.

(10) Communis est DD. sententia adesse in Ecclesia universalem consuetudinem Confessariorum absolvendi cum jurisdictione probabili; quam Ecclesia ferens innuit

jurisdictionem dare, attamen de jure divino requiritur jurisdictio ad valorem Sacramenti (*f*).

31. An possit judex accipere stipendium ab uno litigantium, et pro illo ferre sententiam, quando litigantium rationes sunt æque probabiles?

Minime, et constat ex prop. 26. ab Alexandro VII. damnata (*); adest enim præjudicium tertiæ personæ.

32. Quid in casu agere debet judex?

Debet aliquo modo componere partes; vel pro medietate rem litigantibus adjudicare; vel de consensu partium arbitros statuere.

33. Num possit advocatus suscipere patrocinium causæ probabilis?

Quæstio inter Theologos: aliqui negant; quia in casu conaretur advocatus ut judex definiret pro parte probabili. Alii tamen probabilius affirmant; munus enim advocati est exponere tantum jura sui clientis, et pro ipso assistere, non vero definire. At in casu tenetur advocatus statum causæ clienti manifestare, et eum de periculo monere; aliter obligatur ad restitutionem expensarum (11).

34. An in aliquo casu possit medicus uti opinione probabili in medicando?

Maxime, et est quando aliud remedium non haberet, nisi probabile; tunc enim negotium utile gereret infirmo (12).

35. Num liceat sequi tanquam probabilem opinionem alicujus libri junioris et moderni, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica uti improbabilem?

Licet, si probatur opinio firmis argumentis: aliter non licet;

---

jurisdictionem supplere, ne fideles periclitentur: præterquam quod ipsa consuetudo jurisdictionem sibi vindicat, *ex cap.* Cum contingat *13. de foro compet.*

Nonnulli hanc primam opinionem admittunt, cum aliqua adest gravis causa ministrandi Sacramentum.

(*f*) *Ex Trid. sess. 14. cap. 7.*

(*) *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

(11) In causa criminali dubia non licet tueri partes actoris: licet tamen tueri partes rei.

(12) Intelligitur hoc, cum remedium probabiliter potest prodesse, et non nocere. Medico tamen non licet infirmo etiam desperato remedium applicare, de quo ignoratur, an sit salutare, vel noxium, ad experimentum faciendum. Utrum autem hoc liceat pro spe salutis infirmi, quæstio est.

juniores enim novitatis magis quam veritatis sunt amatores, et patet ex prop. 27. ab Alexandro VII. damnata (*).

36. *An unius auctoritas reddat aliquam opinionem probabilem?*

Sola non sufficit; sed requiritur, ut conjuncta sit cum aliis circumstantiis, et validis rationibus, quæ revera reddant illam probabilem.

37. *Num detur casus, in quo quis potest unius auctoritati quiescere?*

Maxime, quando nempe de illius doctrina perspicuum est. Hinc pœnitens quiescere potest auctoritati sui Confessarii, subditus auctoritati sui Episcopi, sui superioris; dummodo non constet esse improbabile, quod dicitur. (13)

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

38. *QUænam conscientia dicitur dubia?*

Illa quæ inter contrarias æquales rationes neutri parti præstat determinatum assensum, sed anceps manet inter utramque partem.

39. *Quænam differentia intercedit inter dubium, opinionem, et suspicionem?*

Hæc differentia: per dubium mens neutri parti adhæret; sed anceps manet: per opinionem adhæret uni parti cum formidine de opposito: per suspicionem mens nulli parti adhæret, attamen uni magis quam alteri inclinat. (14)

40. *Quotuplex est dubium?*

Dividitur 1. in positivum, et negativum: positivum dicitur,

(*) Propositio erat: *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

(13) Communis et sequenda sententia contra aliquos docet non solum posse, sed etiam sub gravi teneri Confessarium absolvere pœnitentem, qui vult sequi opinionem probabilem, quamvis opposita probabilior videatur Confessario: non est enim Confessarius controversiarum judex; et gravem pœnitenti irrogaret injuriam, ei negando absolutionem, ad quam pœnitens, facta confessione, cum sit dispositus, strictum habet jus: alias multa sequerentur absurda.

(14) Nota, quod dubium, opinio æque probabilis, et conscientia æque probabilis confunduntur inter se.

quando pro utraque parte adsunt æqualia motiva, et rationes: negativum, quando pro utraque parte nulla, vel levia adsunt motiva; quare negativum potius est nescientia, et ignorantia. 2. Dividitur in speculativum, et practicum: primum est quando dubitatur in genere, an aliqua actio vel omissio sit licita; e. g. utrum liceat die festo piscari: secundum est, quando dubitatur, an actio aliqua vel omissio hic et nunc sit licita in præsentibus circumstantiis; e. g. utrum mihi hoc die festo sit licitum piscari ad victum quærendum. 3. Dividitur in dubium juris, et facti: juris, quando dubitatur de lege, an lex existat, an obliget etc: facti, quando dubitatur de facto, quod respicit lex; e. g. an hæc mulier sit mea consanguinea.

41. Num liceat agere cum conscientia dubia de moralitate actionis?

Minime; quia sic agens se exponit periculo peccandi, et revera peccat juxta illud Eccles. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

42. Peccatum cujus speciei et gravitatis iste committit?

Illius speciei et gravitatis, cujus periculo sic dubitans se exponit (g 15).

43. Quomodo tollitur conscientia dubia?

Tollitur adhibendo diligentiam debitam in veritate inquirenda. At si post adhibitam diligentiam dubium perseveret, en magna controversia inter probabilistas, et probabilioristas. Probabiliores ajunt nos teneri sequi legem; quia in dubiis tutior pars est eligenda, et quisque obligatur removere omne periculum etiam materiale peccati. Probabilistæ vero docent nos teneri sequi legem, si ista possidet; at possumus sequi libertatem, si pro ipsa stat possessio; nam pro eo standum est, pro quo stat præsumtio, et in dubiis melior est conditio possidentis (16).

44. Dubitans de lege, teneturne illam servare?

In omni dubio semper adhibenda est diligentia. Post diligen-

(g) *D. Thom. Quodlibet. 8. a. 13.*

(15) Hinc si quis verberat aliquem, dubitans an iste sit Clericus, peccat non solum contra justitiam, sed etiam contra religionem, effective, si revera est Clericus, affective, si Clericus non est.

(16) Recole, quæ dicta sunt in præcedenti cap. n. 27.

Aliqui Probabiliores docent, quod si materia, de qua dubitatur, sit divisibilis, pro rata dubii dividenda est.

tiam si quis dubitet utrum lex sit lata, vel promulgata, vel utrum aliquis casus sit in lege comprehensus, aut legis advenerit tempus, tunc per probabilioristas tenetur ad legem ; aliter imprudenter ageret, et se exponeret periculo peccandi : per probabilistas non tenetur; quia possessio stat pro libertate, et alias nullum adesset discrimen inter legem dubiam, et legem certam. Si quis autem de lege certus, dubitet an lex sit justa, vel obligatoria, aut sit revocata, abrogata, dispensata, aut finierit tempus legis, vel utrum causa, quam habet, sit sufficiens ad eum a lege excusandum, vel lex sit impleta, tunc per omnes (17) ad legem tenetur ; et sane per probabilistas quia possessio stat pro lege ; per probabilioristas ad removendum periculum peccandi.

45. *Dubitans de voto ad quid tenetur ?*

Si dubitat de voti emissione, per probabilistas non tenetur ad votum ; quia stat pro libertate possessio : per probabilioristas tenetur ; ne se exponat periculo violandi votum. Si vero certus de emissione, dubitat an votum emiserit animo se obligandi, vel sufficienti advertentia, et consensu, aut dubitat de ejus adimpletione, per omnes ad votum tenetur ; et sane per probabilistas quia præsumtio stat pro voto ; per probabilioristas ad vitandum periculum violandi votum. Si denique dubitet de qualitate vel quantitate rei promissæ, vel de voti duratione, probabilioristæ ajunt esse materiam dividendam pro rata dubii, probabilistæ vero docent (18) teneri ad minorem partem ; quia obligatio odiosa benigne est interpretanda (h19).

---

(17) Quicquid pauci teneant in dubio utrum lex sit justa, vel obligatoria.

In dubio autem an lex obliget sub gravi, vel levi, censetur obligare sub levi, *ex l. 56. D. de reg. jur.* Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.

In dubio de adimpletione legis aliqui contrarium docent, cum dubium est positivum.

Lex cum sit adimpleta, præsumitur recte adimpleta, modo contra non constet; nam in dubio omne factum præsumitur rite factum.

De dubio an quis officium recitaverit vide in tract. XII. num. 121. (27 *).

(18) Sed non omnes, multi enim in hoc conveniunt cum probabilioribus.

(h) *Cap.* Ex parte *18. de censibus etc. ac reg. jur.* In obscuris 30. *in 6.*

(19) Qui aliquid vovit sine determinatione qualitatis, quantitatis etc. satisfacit dando quantum voluerit ; modo tam parum non sit, ut illusorium reddatur votum.

Hucusque dictum de lege, et de voto intelligendum est etiam de pœnitentia sacramentali, et de quacumque alia obligatione.

46. *Num ille, qui dubitat de valore matrimonii, possit petere, et reddere?*

Cum distinctione: vel contraxit dubia fide, post adhibitam diligentiam intra bimestre non potest petere, neque reddere, dummodo matrimonium non sit consummatum; non potest petere, né se exponat periculo peccandi; non tenetur reddere, quia altera pars non adhuc habet jus petendi (*i*): si autem matrimonium est consummatum, aut elapsum est bimestre, tunc non potest petere (posthabita aliquorum opinione), sed tenetur reddere alteri parti in bona fide existenti; quia hæc habet jus petendi (*k*). At si ambo contraxerint dubia fide, dubio permanente, nunquam possunt petere, neque reddere ad vitandum periculum fornicationis; et petenda est dispensatio (*l*). Vel contraxit bona fide, et postea incidit in dubium, debet adhibere diligentiam: interea non potest petere, et intra bimestre, matrimonio non adhuc consummato, ne reddere quidem, ex ratione superius allata: post diligentiam dubio non evacuato, potest reddere, et petere, omissa aliquorum opinione; quia dubium superveniens bonæ fidei obesse non debet, et melior est conditio possidentis (*m*).

47. *Quid si inveniatur matrimonium fuisse nullum?*

Non potest peti neque reddi, licet altera pars maneat in bona fide; nam talis copula esset vera fornicatio, proindeque intrinsece mala; ideoque nullo modo potest cohonestari, neque periculo mortis, infamiæ, censuræ etc. (*n*)

48. *Licetne cum dubio de aliquo impedimento dirimente contrahere matrimonium?*

Ante diligentiam non licet; ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Post adhibitam diligentiam, distinguo: si impedimentum, de quo dubitatur, est de jure naturæ, non licet, etiamsi probabiliores habeantur rationes de non existentia impedimenti; quia agitur de valore Sacramenti. Si autem impedi-

(*i*) *Ex cap.* Ex publico 7. *de convers. conjugat.*

(*k*) *Cap.* Dominus 2. *de secundis nuptiis.* (*l*) *Ex cit. cap.* Dominus, *et aliunde.*

(*m*) Eruitur ex cap. *Laudabilem* 5. de frigid. et malefic. aliisque cap.

(*n*) *Ex cap.* Inquisitioni 44. *de sent. excomm. et ex cap.* Litteras 13. *de restitut. spoliator.*

mentum est de jure ecclesiastico, tunc inter se concertant Theologi: alii negant ex eadem ratione : alii vero affirmant , dummodo opinio de non existentia impedimenti probabilis sit probabilitate juris , et universe recepta ut probabilis; quia in casu Ecclesia ex antiqua consuetudine præsumitur impedimentum removere. At si opinio non est universe ut probabilis recepta, vel sit tantum ex probabilitate facti , tunc non licet , omissa opposita sententia ; quia nequit haberi hujusmodi præsumtio.

49. Dubitans de censura teneturne se uti censuratum gerere, donec prudenter deponat dubium , vel a censura absolvatur ?

Si dubitat utrum censuram incurrerit , concertant Theologi : alii negant ; tum quia nemo est expoliandus jure certo ob causam incertam ; tum quia pœnæ sunt restringendæ : alii vero affirmant ; quia in dubiis tutior pars est eligenda (20). Si vero post censuram contractam quis dubitat de absolutione obtenta , vel de appellatione etc. juxta omnes est ut censuratus gerendus; tunc enim possessio stat pro censura (21).

50. Est ne gerendus tamquam irregularis, qui dubitat de irregularitate ?

Tempore investigationis debet se gerere velut irregularem , ne se exponat periculo violandi irregularitatem (*o*). Adhibita diligentia , et dubio permanente , si dubium est juris, non est gerendus uti irregularis ; irregularitas enim non contrahitur, nisi sit expressa in jure (*p*). Si dubium est facti circa homicidium , tenetur dubitans se gerere ceu irregularem ; quoniam sic statutum est in jure (*q*22) : et hoc in utroque foro , ex veriori et

---

(20) Isti afferunt pro se cap. *Illud Dominus* 5. de clerico excomm. etc. ministr. Quæstio valet sive dubium sit facti , sive juris.

(21) Idem dicendum, si dubitatur de potestate superioris , de justitia censuræ etc. quidquid dicant aliqui.

(*o*) *Cit. cap.* Illud Dominus. (*p*) *Ex cap.* Is qui *18. de sentent. excomm. in 6.*

(*q*) *Ex cap.* Significasti *18. de homicid. et aliunde.*

(22) Hoc procedit, cum quis certus de homicidio, solum dubitat utrum ipse fuerit illius causa : secus autem, si dubitat de ipso homicidio, nempe an sit secutum vel non, ut valde probabiliter tenent DD.

Notetur jura loqui tantum de homicidio, et quoad duos dumtaxat effectus, nempe abstinendi a celebratione, et petendi dispensationem. Quare infertur 1. hoc non valere,

communi sententia. Si dubium facti est circa aliud, tunc quæstio est inter Theologos: aliqui dicunt teneri; quia irregularitas in homicidio dubio est expressa in jure non taxative, sed ad modum exempli: alii dicunt non teneri; quia irregularitas, cum sit odiosa, restringi debet ad solos casus certos.

51. An peccata dubia censentur reservata?

Vel dubium est juris, et idem dicendum, quod dictum est de jurisdictione probabili n. 30. vel dubium est facti, et talia peccata non sunt censenda reservata, etiam juxta plures probabilioristas; quia reservatio respicit casus certos (23).

CAPUT V.

DE CONSCIENTIA PERPLEXA, ET SCRUPULOSA.

52. *Quænam est conscientia perplexa?*

Est illa, quæ dictat utrique contradictionis parti inesse peccatum, scilicet sive actio fiat, sive non; sive hoc fiat, sive aliud, cum sit unum impediens alterum.

53. Ad quid tenetur, qui hac conscientia laborat?

Si est vincibilis, tenetur illam deponere: aliter semper peccat, quomodocumque operatur; quia versatur in errore voluntario. Si autem invincibilis est, debet eligere illud, quod sibi videtur minus malum: si vero utrumque sibi videatur æquale malum, potest eligere alterutrum sine peccato; quia deest libertas (r24).

54. Quænam est conscientia scrupulosa?

Est actus mentis, quo ex inanibus rationibus suspicatur inesse peccatum, ubi revera non est: unde differt a conscientia probabili, ac dubia; et opponitur conscientiæ latæ.

---

si sermo sit de mutilatione, ex communiori sententia: 2. valere tantum ad prædictos duos effectus: 3. valere tantum pro Clericis, non vero pro laicis.

(23) De dubio possessionis erit sermo in tract. VIII. cap. IV.

(r) *Can.* Duo in mala *1. et* Nervi *2. dist. 13. et can.* Non solum *7. caus. 22. q. 4.*

(24) Præferendum est in casu jus naturale positivo, divinum humano, virtus major minori, ejusdem virtutis officium sublimius inferiori, bonum spirituale temporali, bonum commune privato etc.

55. *Qualia sunt signa conscientiæ scrupulosæ ?*

Plura : pertinacia in suo judicio , frequens judicii mutatio circa idem ex levi fundamento , extravagantes reflexiones , timor peccandi in omnibus , et alia.

56. *Quænam sunt causæ scrupulorum ?*

Præcipuæ sunt melancholia, indoles timida, debilitas cerebri vel complexionis, zelus indiscretus, ignorantia, superbia, conversatio cum scrupulosis, dæmonis tentatio , voluntas Dei , et alia.

57. *Licetne agere contra conscientiam scrupulosam ?*

Maxime ; quia scrupulus , cum nitatur inani fundamento , non valet destruere judicium oppositum gravi fundamento innixum. Imo tenemur contra scrupulos agere , præsertim quando accedit præceptum Confessarii ; scrupuli enim et animæ et corpori notabiliter nocent.

58. *Quænam sunt remedia contra scrupulos ?*

Præcipua sunt exercitium humilitatis , fuga otii , preces ad Deum , electio Confessarii probi et docti , perfecta obedientia , et alia.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

Proxima actionum humanarum regula respectum habet ad remotam; et mens legem respicit ad efformandam conscientiam. Hinc merito iste de Legibus sequitur de conscientia tractatum.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET DIVISIONE LEGIS.

1. *Quid est Lex?*

Verbum *Lex* a legendo, seu eligendo, vel a ligando factum est. Lex est regula, seu recta ratio agendorum, a publica potestate communitati denunciata, cum voluntate perpetuo obligandi subditos ad aliquid agendum vel omittendum ob bonum commune.

2. *Differtne lex a præcepto?*

Præceptum late sumptum idem est ac lex : sed in oppositione ad legem acceptum differt in hoc, quod lex semper fertur pro communitate ; præceptum aliquando pro singularibus personis : lex immediate afficit locum, proindeque subditos inibi commorantes ; præceptum aliquoties afficit immediate personas ubicumque commorantes : lex est perpetua, et durat etiam post mortem legislatoris ; præceptum ordinario desinit morte legislatoris: lex denique transit ad subditos posteros ; præceptum vero plerumque expirat morte subditi.

3. *Quotuplex est lex?*

Triplex, æterna nempe, naturalis, et positiva. Æterna est ipsemet ordo æternus jubens vel prohibens quid agendum omittendumve sit : et quia Deus est ipsemet ordo, idem est ordo æternus ac Dei voluntas. Lex naturalis est ipsa lex æterna creaturæ rationali insita per rectam rationem, qua turpe ab honesto dis-

cernimus. Positiva est illa, quæ accidentaliter provenit a voluntate legislatoris.

4. Lex naturalis differtne a positiva?

Maxime : prima enim est immutabilis, secunda est mutabilis: quod prohibet prima, est prohibitum quia malum; quod prohibet secunda, est malum quia prohibitum.

5. Quotuplex est lex positiva?

Duplex, divina, et humana: prima a Deo; secunda ab homine fertur.

6. Quotuplex est lex positiva divina?

Duplex, vetus, et nova: vetus est illa, quam Deus per Moysen dedit Israëlitis; et istos tantum obligabat: nova est, quam Christus Dominus dedit hominibus, et per Apostolos fuit promulgata; et obligat omnes homines.

7. Quotuplex est lex humana?

Alia est ecclesiastica, alia civilis, et alia gentium. Prima est, quæ a superiore ecclesiastico fertur ad Ecclesiæ gubernationem, animarumque profectum. Altera est, quæ ab auctoritate sæculari est lata ad politicam civitatis gubernationem, et bonum temporale communitatis. Tertia est jus ab omnibus fere gentibus cognitum; et proprio nomine *jus gentium* vocatur: hoc vel est primarium, et est ipsum jus naturæ gentibus accommodatum: vel secundarium, illud nempe quod est usu et consuetudine a gentibus ob communes necessitates adoptatum; uti est jus legationis, jus belli et pacis, jus commercii etc.

Lex humana iterum dividitur in moralem, et pœnalem: moralis est, quæ dirigit tantum mores, et obligat in conscientia absque ulla pœna contra transgressores : si autem obligat sub pœna, dicitur pœnalis. Pœnalis autem alia est mixta pœnalis, alia simplex pœnalis: prima obligat in conscientia, et sub pœna; alia tantum sub pœna.

8. Quænam dicitur lex affirmativa, et quænam negativa?

Lex affirmativa est, quæ aliquid præcipit faciendum: negativa vero, quæ aliquid prohibet. Prima obligat semper, sed non ad semper; nempe non tenemur omni instante agere quod lex præcipit, sed suo tempore : altera obligat semper et ad semper,

idest semper et omni instante tenemur, quod lex prohibet, omittere, durante tempore legis.

9. Quænam conditiones requiruntur ad legem humanam?

Plures: ut sit possibilis, honesta, justa, necessaria ad bonum commune, et promulgata (*a*).

10. Requiritur ne promulgatio, ut lex obliget?

Maxime (*b**); nam sine promulgatione lex ignoratur, et ignorantia merito excusat subditos a legis observantia.

11. An lex statim ac sit promulgata, obliget?

Olim erat diverse: sed nunc ex cod. noviss. part. 1. art. 1. in nostro regno lex civilis obligat post diem promulgationis; et pro locis a loco promulgationis dissitis adduntur singuli dies pro singulis viginti milliariis distantiæ: nisi aliud sit in lege expressum. Lex ecclesiastica obligat, statim ac ejus notitia ad fideles pervenerit.

12. Requiriturne acceptatio populi, ut lex obliget?

In lege ecclesiastica non requiritur; nam Pastores Ecclesiæ a Christo Domino immediate recipiunt potestatem. In lege civili probabilius ne requiritur quidem; aliter nullius momenti esset potestas legislativa, si subditorum acceptatio requireretur (**). At hoc intelligitur, dummodo talis non sit reipublicæ forma.

13. An peccet subditus legem non acceptans?

Vel non acceptat sine justa causa, et dico peccare, uti patet ex prop. 28. ab Alexand. VII. proscripta (***). Vel habet justam causam, et dico teneri principi causam exponere; et interea lex est suspensa.

(*a*) *S. Isidorus relatus in can.* Erit autem lex 2. *dist.* 4.

(*b*) *Ex plur. utriusq. jur. loc.* [*art.* 1.]

(*) Leges instituuntur, cum promulgantur, *Gratian. in can.* In istis 3. *dist.* 4. Modus promulgationis est accidentalis, et pendet a voluntate superioris. Hinc esse potest varius juxta morem atque usum regnorum.

(**) Constat prima pars ex illis Christi verbis Ioan. 21. 17. *Pasce oves meas*, et Matth. 18. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo*: altera pars ex Prov. 8. 15. et 16. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.*

(***) Propositio erat: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE LEGEM HUMANAM.

14. *Daturne in hominibus potestas condendi leges?*

Maxime, et est de fide, sicuti ex millibus patet Scripturæ locis (*).

15. *Quinam possunt condere leges ecclesiasticas?*

Summus Pontifex, et Concilium generale pro universa Ecclesia; Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha etc. atque Concilia peculiaria pro sua quaque diœcesi; et sic alii habentes jurisdictionem ordinariam in foro externo pro suis subditis.

16. *Declarationes et decreta S. Congregationis Cardinalium habentne vim legis?*

Vel sunt a Summo Pontifice approbatæ, et de ejus mandato promulgatæ, ac Congregationis sigillo munitæ, et habent vim legis, ex communiori sententia: aliter habent tantum auctoritatem doctrinalem, quicquid aliqui dicant.

17. *Quinam possunt condere leges civiles?*

Illi, apud quos reperitur suprema potestas: hinc potest princeps in monarchia; senatores, optimates etc. in aristocratia; populus in democratia etc.

18. *Potestas civilis potestne condere leges ecclesiasticas?*

Directe et per se non potest; quia tantum Pastoribus Ecclesiæ commisit Christus Dominus hanc potestatem: indirecte tamen, nempe pro custodia et observantia legum Ecclesiæ potest; civili enim potestati commisit Deus Fidei Ecclesiæque custodiam, atque protectionem (**).

(*) Et revera de legibus civilibus habetur præcipue illud Apostoli Rom. 13. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo etc.* de legibus ecclesiasticis illud Joan. 21. 17. *Pasce oves meas.*

(**) Patet ex Trid. sess. 25. de reform. cap. 20.

CAPUT III.

DE MATERIA LEGIS HUMANÆ.

19. *Quænam est materia legis humanæ?*

Sunt actiones humanæ, quæ possunt præcipi vel prohiberi, prout conferunt aut nocent bono communi.

20. *Potestne legislator humanus præcipere vel prohibere, quod non est præceptum vel prohibitum lege naturali aut divina?*

Maxime; aliter parvi momenti esset potestas legislativa in homine.

21. *Num lex humana possit prohibere omnia vitia?*

Collective non potest; quia esset moraliter impossibile, attenta hominum pravitate, juxta illud Christi Domini Matth. 18. 7. *Necesse est, ut veniant scandala*; et esset contra bonum commune juxta illud Prov. 30. 33. *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Divisim potest, uti expedit bono communi (*).

22. *Potestne lex humana præcipere omnes actus virtutum?*

Minime: non potest collective; quia nonnulli actus virtutum sunt inter se contrarii; uti esset virginitas, et redditio debiti conjugalis: neque potest divisim; aliqui enim virtutum actus sunt valde ardui, humanæ fragilitati difficillimi, sicuti virginitas etc. Sed potest tantum aliquem virtutis actum, quamvis arduum præcipere, si hunc postulat bonum commune, vel hujusmodi actus est adnexus alicui statui voluntarie a subdito suscepto; uti est cælibatus in sacris ordinibus, clausura pro Monialibus etc.

23. *Potestne legislator humanus præcipere vel prohibere actus indifferentes?*

Affirmative, dummodo cohonestentur ex aliqua circumstantia.

(*) At objicitur: *Lex divina, et naturalis prohibet collective omnia vitia etiam levia, et tamen non est bono communi noxia: sic et lex humana esset.*

Resp. negando paritatem: 1. enim legislator divinus legem fert et pro tota communitate, et pro singulis personis; proindeque attendit ad bonum communitatis non solum, sed et singularum personarum: at legislator humanus non attendit ad singulorum bonum. 2. Legislator divinus dat velle et posse, per gratiam; quod non potest legislator humanus.

24. *An possit legislator humanus præcipere vel prohibere actus internos ?*

Responsioni est præmittendum: 1. Actus internus potest dirigi a lege vel directe, vel indirecte: directe, quando præcipitur aut prohibetur in se: indirecte, quando præcipitur vel prohibetur respectu actus externi, cum quo est conjunctus. 2. Lex humana duplicem habet vim obligandi, directivam, cum obligat tantum in conscientia ad culpam; et coactivam, cum obligat ad culpam in conscientia, et ad pœnam in foro externo. His dictis sic respondetur: Lex humana ecclesiastica potest etiam directe, sed vi directiva tantum, præcipere vel prohibere actus internos; quia Christus Dominus dedit Ecclesiæ potestatem non solum in actus externos, sed etiam in internos ad salutem spiritualem fidelium; et contrarium fuit damnatum ab Innoc. XI. contra Michaëlem Molinos in duabus propositionibus, 65. et 66 (*): at non potest vi coactiva; hæc enim exercere nequit, nisi in judicio externo. Lex civilis autem directe non potest vi coactiva, neque directiva; quia ejus potestas exteriorem tantum politiam respicit. Indirecte autem tam lex ecclesiastica, quam civilis potest etiam vi coactiva præcipere vel prohibere actus internos, ad reddendum actum externum plenum, et vere humanum: hinc præcipitur merito attentio ac devotio in auditione Missæ, verus consensus in contractibus etc.

25. *Potestne lex humana præcipere vel prohibere actus externos omnino occultos ?*

Maxime; nam per se sunt sensibiles, proindeque legi humanæ subjecti; per accidens sunt occulti ob testium defectum: patet etiam ex pœnis contra hæreticos occultos latis ab Ecclesia.

(*) Prima propositio erat: *Præpositis obediendum est in exteriori, et latitudo voti obedientiæ religiosæ tantummodo ad externum pertingit. In interiore aliter res se habet, quo solus Deus, et director intrant.* Altera erat: *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod Anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo.... quia Ecclesia non judicat de occultis, et Anima habet jus eligendi quodcumque sibi bene visum.*

CAPUT IV.

DE SUBJECTO LEGIS HUMANÆ.

26. *Quinam tenentur servare leges humanas?*
Omnes adulti, et subditi (*).

27. *Quænam ætas requiritur, ut quis teneatur legibus humanis?*
Ordinarie ætas usus rationis, qui in septennio solet apparere; infantes enim sunt directionis incapaces. Dixi *ordinarie*, nam si alia ætas in lege sit statuta, hæc attendenda est; quomodo in præcepto Paschalis Communionis requiritur ætas discretionis, ad jejunium ætas vigesimi primi anni completi etc.

28. *Legislator teneturne servare leges suas, vel suorum prædecessorum?*
Si cum aliis est legislator, uti in Aristocratia etc. et tenetur; quia illa lex condita est non a se solo, sed a communitate, cui est subditus. Si autem est solus, tenetur tantum ex vi directiva jure naturali ad bonum exemplum; dummodo materia legis sit ipsi legislatori congruens: non tenetur tamen vi coactiva, quia nulli est subditus (*c*).

29. *Quinam tenentur servare leges pontificias in materia spirituali?*
Omnes baptizati, quamvis hæretici, apostatæ, schismatici; isti enim licet sint rebelles et desertores, sunt tamen ob baptismum Ecclesiæ subditi.

30. *Quinam tenentur servare leges episcopales?*
Subditi propriæ diœcesis intra illam morantes.

31. *An religiosi tenentur ad leges Ordinarii loci, ubi morantur?*
Minime, quia sunt exempti. Attamen excipitur 1. si Episcopus

(*) Aliud est ad legem non teneri, aliud a lege excusari. Pueri, et amentes non tenentur ad leges humanas, nec infideles ad leges Ecclesiæ. Ebrii, ignorantes, dormientes excusantur tantum a legibus; ad istas tamen tenentur, sive sint naturales, sive positivæ: sicut etiam pueri, et amentes tenentur ad naturales, licet ab eis excusentur. Peccat, qui aliquem contra legem ad agendum movet vel inducit, quamvis iste a lege excusetur: contra non peccat qui movet aut inducit ad legem non obligatum. E. C. peccat qui puerum incitat ad blasphemiam, aut ebrio die vetito carnem præbet: at non peccat qui puero aut infideli die vetito præbet carnem.

(*c*) *D. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad. 3.*

leges ferat tanquam delegatus Apostolicus; Sedes enim Apostolica omnibus præest. 2. Tenentur religiosi curare, ut serventur censuræ ab Episcopo latæ (*d*), ne istæ inanes fiant. 3. Tenentur servare dies festos, publicas supplicationes etc. quia ista respiciunt bonum commune (*e*): dummodo hæc non adversentur statui regulari. 4. Tenentur servare ea, quæ respiciunt Sacramentorum administrationem, celebrationem Missæ, sanctum cultum etc.(*f*)

32. *Quinam tenentur servare leges civiles?*

Omnes, sive cives, sive exteri, qui morantur in territorio regni, quamvis per modum transitus (*g*): lex enim afficit locum, proindeque omnes commorantes in eo.

33. *Clerici tenenturne servare leges civiles?*

Tenentur in omnibus, quæ non dedecent statui clericali; cives enim sunt, civilisque communitatis partes.

34. *Quinam dicitur vagus, quinam peregrinus, et quinam advena?*

Vagus est ille, qui nullibi fixum habet domicilium; sed hinc inde vagatur. Peregrinus dicitur, qui extra territorium, ubi domicilium habet, transit per alium locum ad breve tempus. Advena est, qui exiit e proprio territorio, et in alio loco figit domicilium, vel quasi-domicilium animo permanendi aut semper, aut ad tempus notabile.

35. *Quodnam tempus requiritur ad constituendum quasi-domicilium?*

Major anni pars: at non requiritur, ut tale tempus reapse prætereat; sufficit animus permanendi per tale tempus.

36. *Vagus teneturne servare leges municipales loci, in quo reperitur?*

Maxime juxta aliquos; quia lex afficit in loco morantes; et alias esset sine lege peculiari, quod est contra rectam sui gubernationem. Juxta alios non tenetur; quia non subditus illius loci, habensque leges communes, absurdum non est quod sit absque legibus peculiaribus (*1*).

(*d*) *Trid. sess. 25. de Regul. et Monial.cap.12.* (*e*) *Trid. loc. cit. et cap. 13.*

(*f*) *Trid. sess. 22. decret. de observ. in celebrat. Ben.XIV. de Syn. lib. 9. cap. 15.*

(*g*) [*art.* 5.]

(*1*) De vago idem dici potest, quod infra dicetur de peregrino.

37. An advena teneatur ad istas leges?

Affirmative; quia per domicilium vel quasi fit incola illius loci, et subditus (*h*).

38. Peregrinus teneturne servare leges loci, ubi per transitum reperitur?

Tenetur ad leges civiles, ex cit. art. Utrum teneatur ad ecclesiasticas, discrepantia adest inter Thelogos: alii affirmant; quia secus esset sine lege peculiari, et quia lex afficit locum, proindeque omnes ibi immorantes: alii negant, quia peregrinus non est subditus illius loci. Isti tamen excipiunt, si leges sint communes in utroque territorio: si sint de jure communi, et ex aliquo privilegio aut consuetudine in proprio territorio non servantur: si adsit scandalum aut damnum communitatis illas leges non observando: si peregrinus delictum committat; nam ratione delicti fit subditus quoad istud: tandem in celebratione contractuum (*i2*).

39. Num peregrini teneantur servare leges proprii territorii, dum extra illud versantur?

Minime; quia leges afficiunt locum, et loco immorantes (*k*). Excipiuntur juxta plurimos præcepta personalia; ista enim afficiunt personas ubicumque morantes. Excipitur etiam casus, in quo quamvis aliquis extra territorium violet legem, violatio tamen effectum habet in proprio territorio; quia in casu violatio censetur facta in proprio territorio (*l*): uti est beneficiatus absens a loco sui beneficii etc. (*m*)

40. Quid dicendum de illo, qui hac intentione ut eximeretur a lege exiit e proprio territorio?

Non convenit inter Doctores: aliqui contendunt istum te-

(*h*) *Cap.* Ex parte 15. *et* Licet 20. *de foro compet. ex l.* Domicilium 20. *D. ad municipalem, et. l.* Cives 7. *C. de incolis* [*art.* 5. *cit.*] *et alibi.*

(*i*) *Ex variis utriusq. jur. loc.*

(2) Ex dictis patet posse advenam dispensari ab Episcopo loci, ubi moratur, in legibus, votis, et juramentis; quoniam sicut illius loci tenetur legibus, ita æquum est, ut gaudeat etiam privilegiis. De vago, et peregrino quæstio est, ut supra.

(*k*) *Cap.* Ut animarum 2. *de constit. in* 6. *l.* Extra *ult. D. de jurisdict. omn. judic. et alibi.*

(*l*) *L.* Nemo alienigenis 2. *C. quæ res exportari etc.*

(*m*) *Cap.* Ex tuæ devotionis 11. *de Cleric. non resident.*

neri ad legem; quia adest fraus, et fraus vel dolus nemini debet patrocinari (*n*). Alii cum B. A. Ligorio sustinent non teneri; iste enim medio licito exit a lege, et utitur jure suo, et *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur*, sicuti habetur in l. 55. D. de reg. jur.

41. *An ille, qui exire debet ex loco ubi est dies festus, teneatur audire Missam antequam exeat?*

Iste secundum aliquos tenetur illo mane audire Missam aut in proprio territorio, aut in alio; quia jam contraxit obligationem: et si prævideat in alio loco non posse Missam audire, tenetur illam audire, antequam exeat e proprio territorio; dummodo possit sine gravi incommodo. Secundum alios non tenetur: licet enim jam contraxerit obligationem, posset tamen, si in eo loco maneret, per totum mane adimpletionem differre; interea exit e lege.

42. *An qui exit e territorio, ubi non viget lex audiendi Sacrum, et transit per locum, ubi talis lex viget, teneatur ad illud?*

Si per sufficiens tempus moratur in isto loco, tenetur; aliter non tenetur.

43. *Num ille, qui exit e loco, ubi viget lex jejunii, et pergit ad locum, ubi non adest ea lex, teneatur jejunare?*

Minime quandiu permanet extra locum, ubi adest lex jejunii; quia exiit a lege.

44. *An qui exit e loco, ubi non adest jejunium, et pergit ad locum ubi adest, tenetur jejunium servare?*

Maxime quandiu permanet in isto loco. (3)

(*n*) *Ex cap.* Ex tenore *16. de rescript.*

(3) Idem est de abstinentia a servilibus.

Notandum tamen est non easdem esse Theologorum sententias quoad relatos casus: multi multa sentiunt. At aliqui probabilius dicunt, in hisce casibus inspiciendum esse tempus moræ: ubi enim quis per majorem diei partem versatur, illius loci legi debet se conformare (secluso scandalo); quia major pars trahit ad se minorem. Alii vero sic distinguunt: si quis pergit in locum uti terminum viæ, tenetur iste ad omnia præcepta tam negativa, quam affirmativa: si autem in loco reperitur per transitum, ad negativa tantum præcepta tenetur.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE LEGIS HUMANÆ.

45. *Quid est Obligatio legis ?*
Est quædam necessitas a lege orta, qua adstringimur ad aliquod faciendum, vel omittendum.

46. *Quotuplex est hæc obligatio ?*
Triplex est, vel naturalis, vel civilis, vel mixta: naturalis, quando cogit in conscientia ad vitandam culpam: civilis, quando cogit tantum in foro externo ad vitandam pœnam: mixta, quando cogit tam in foro conscientiæ, quam in foro externo.

47. *Lex humana obligatne in conscientia ?*
Maxime, et patet ex fide, sicuti videri potest ex permultis divini eloquii locis (*). Dummodo lex sit justa, et non sit simplex pœnalis.

48. *Unde cognoscitur, utrum obligatio legis sit gravis, vel levis?*
Dignosci potest ex voluntate legislatoris, ex materia legis, ex verbis quibus est lata, ex pœna transgressoribus imposita, ex fine legis, ex doctorum consensu, et ex consuetudine atque usu.

49. *Potestne legislator in materia gravi obligare sub levi?*
Affirmative; quia legis obligatio a legislatoris voluntate pendet.

50. *Potestne legislator in materia levi obligare sub gravi ?*
Per se et absolute non potest; nam materia levis capax non est gravis obligationis. At si ex aliqua circumstantia materia ex levi fit gravis, tunc potest.

51. *Per plures transgressiones in materia levi potestne fieri transgressio gravis ?*
Maxime, et est quando leves materiæ uniuntur vel in se, sicut in furto; vel in ordine ad eundem effectum, uti si quis eodem die pluries omittat aliquid leve de divino officio: et patet ex prop. 29. ab Alex. VII. proscripta (**).

(*) Præcipue ex epistola ad Romanos cap. 13. ubi Apostolus sic concludit: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

(**) Propositio ajebat: *In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

52. Ex quibus capitibus parvæ materiæ non uniuntur?

Ex tribus: 1. ratione diversæ personæ, veluti si plures die festo per parvum tempus laborant, isti non peccant graviter; quia sunt diversa subjecta: 2. ratione diversi præcepti, uti si quis eodem die violat in levi jejunium, omittit parvum Missæ, divini Officii etc. non peccat graviter; quia sunt diversa præcepta: 3. ratione diversi temporis, uti si quis singulis jejunii diebus aliquid parvum manducat, iste non peccat graviter; nam jejunium est onus diei.

53. Daturne lex humana pure pœnalis?

Diversimode opinantur doctores: sed probabilius datur, sicuti videri potest in multis legibus civilibus, et præceptis regularium, quæ ad solam pœnam obligant (o).

54. An aliquando peccet, qui violat legem pure pœnalem?

Maxime, quando nempe pœna est valde gravis; tunc enim quis tenetur in conscientia legem servare, et peccat graviter illam non observando; non pro ipsâ lege, sed peccat aliunde contra charitatem sibi debitam, se exponendo periculo gravem patiendi pœnam.

55. An lex pœnalis obligat ad pœnam statim post transgressionem?

Videndum: si pœna est ferendæ sententiæ, tunc requiritur sententia judicis ad pœnam condemnans. Si est latæ sententiæ, subdistinguo: quando ad subeundam pœnam nulla requiritur actio delinquentis, seu externa executio, uti in censuris, irregularitatibus etc. statim ad pœnam obligat; quando autem requiritur actio delinquentis, vel externa executio veluti in pœna capitis, proscriptione bonorum etc. tunc habenda est sententia judicis declaratoria; nemo enim quamvis delinquens tenetur agere contra seipsum, et esse suimetipse tortor.

56. Num judex possit minuere vel augere pœnam in lege statutam?

Si judex est ipse legislator, potest, stante justa causa; quia est dominus legis. Si autem est inferior, non potest; quia non est legis dominus, sed subditus, et peccaret contra justitiam (p). At

---

(o) *S. Thom.* 2. 2. q. 189. a. 9. ad 1.

(p) *Can.* Summopere 70. *caus.* 11. *q.* 3. *et l.* Accusatorum 1. § 4. *D. ad sctum turpillian.*

excipitur 1. si judici detur ab ipsa lege potestas arbitrandi; tunc enim potest intra fines arbitrii sibi dati: 2. si delictum est dubium, judex potest arbitrari pro rata dubii, ut aliqui docent.

CAPUT VI.

DE MODO, QUO SERVANDÆ SUNT LEGES.

57. *Quomodo adimplenda est lex ?*

Lex affirmativa adimpletur voluntarie præstando quod ipsa præcipit: lex vero negativa omittendo quod ipsa prohibet.

58. *Qui per vim aut metum præstat, quod lex præcipit, satisfacitne legi ?*

Qui præstat per vim, non satisfacit; lex enim adimplenda est per actum humanum, nempe per actum voluntarium, et vis tollit voluntarium: qui autem opus præceptum præstat per metum, satisfacit legi; quia metus non tollit voluntarium.

59. *Utrum legem adimpleat, qui per vim aut metum omittit id, quod lex prohibet ?*

Maxime, quia revera omittit, quod lex prohibet; quamvis non excusetur a peccato affectivo, cum affectum habeat committendi illud opus prohibitum.

60. *Quotuplicem quis habere potest intentionem in legis executione?*

Duplicem; aut præstandi opus, quod præcipitur; aut satisfaciendi præcepto per tale opus.

61. *Quænam requiritur intentio in legis adimpletione?*

Sufficit intentio ponendi opus præceptum; nam opus vult lex, non voluntatem adimplendi legem per tale opus (*4*).

62. *Qui immemor legis præstat opus præceptum, utrum satisfaciat legi ?*

Utique; nam præstat opus præceptum, quod sufficit ad legis adimpletionem, et habet virtualem voluntatem legem adimplendi(*5*).

(*4*) Hinc si quis die festo audit Missam nihil cogitans de præcepto, huic satisfacit: si autem in Ecclesia immorans tempore Missæ, non habet intentionem audiendi eam, non satisfacit præcepto; quia non habet intentionem præstandi opus, quod præcipitur.

(*5*) Idem probabilius dicendum est de eo, qui immemor voti, juramenti, vel

63. *An legi satisfaciat, qui opus præstat intentione contraria, nempe non satisfaciendi legi ?*

Concertatur inter doctores: sed probabilius dicendum, quod iste satisfaciat legi; quia revera præstat opus, quod lex præcipit(*).

64. *Quotuplex esse potest finis legis ?*

Duplex, intrinsecus nempe, et extrinsecus: intrinsecus est ille, qui habetur ex parte ipsius rei præceptæ, seu ad quem res præcepta ex sua natura dirigitur; uti esset mortificatio corporis in jejunio: finis extrinsecus est ille, qui habetur ex parte legislatoris, seu ad quem res præcepta a legislatore dirigitur; sicut esset jejunium ad aliquam calamitatem avertendam.

65. *Qualis finis est intendendus in adimpletione legis ?*

Per se est intendendus finis intrinsecus; sic enim ponitur substantialis materia legis: non vero est intendendus finis extrinsecus; quia iste non cadit sub lege. Dixi *per se;* nam si finis extrinsecus expresse præcipitur, tunc est etiam ipse intendendus; quia tunc intrat in materiam legis.

66. *Quotuplex esse potest modus in lege adimplenda?*

Duplex esse potest, intrinsecus, et extrinsecus: primus est ille, sine quo substantia rei præceptæ non habetur; veluti esset attentio et devotio in oratione: secundus est ille, sine quo substantia rei præceptæ servari potest; sicuti esset orare flexis genibus.

67. *Quinam modus est servandus in adimpletione legis?*

Intrinsecus, aliter non servaretur legis substantia: non vero extrinsecus; iste enim non pertinet ad legis essentiam. Excipe, si modus extrinsecus expresse sit præceptus; tunc enim etiam est servandus, cum fiat legis materia.

68. *An adimpleatur præceptum per actum ex aliqua circumstantia malum ?*

Si circumstantia mala repugnet substantiæ præcepti, tollendo in actu honestatem, quæ actui est essentialis relate ad præceptum, tunc non adimpletur præceptum; quia non præstatur id, quod

---

pœnitentiæ sacramentalis opus præstat promissum etc. modo tamen illud non applicet pro alia intentione.

(*) D. Thomas in 4. sent. d. 15. q. 3. a. 4. q. 1. ad 1. ita docet: *Statutum positivæ legis non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum.*

lex præcipit: uti esset audire Missam loquendo cum aliquo. Si autem circumstantia mala substantiæ præcepti non repugnet, tunc adimpletur præceptum per talem actum, quamvis malum; præstatur enim id, quod lex præcipit, et actus per accidens vitiatur; sicut esset devote audire Missam causa vanitatis.

69. *Utrum possit quis unico actu plura præcepta adimplere idem præcipientia?*

Si hæc præcepta præcipiunt ex eodem motivo formali, potest quis unico actu ea adimplere: aliter non potest, nisi aliud constet ex voluntate præcipientis.

70. *Num per diversos actus possint eodem tempore plures leges adimpleri diversa præcipientes?*

Affirmative, dummodo unus actus alium non impediat, nec attentio uni debita tollat attentionem debitam alteri: ut est eodem tempore Missam audire, et horas canonicas recitare.

71. *Qui non potest totam servare legèm, teneturne servare ejus partem possibilem?*

Si præceptum est divisibile, nempe in singulis ejus partibus divisim acceptis salvetur ratio seu finis præcepti, tenetur; quia ex reg. Juris 37. in 6. *Utile non debet per inutile vitiari;* et proinde nec possibile per imposibile, si possibile ab impossibili disjungi potest (6). Si autem alia pars præcepti fiat inutilis, tunc non est servanda; nemo enim tenetur ad opus inutile (✠7).

72. *Teneturne quis removere impedimentum legis?*

Maxime; et tenetur removere impedimentum proximum in

---

(6) Utrum in parte præcepti salvetur ratio, colligi potest ex legislatoris intentione, ex ratione, fine, et materia legis, ex judicio prudentum, et ex communi usu.

(✠) Unde resolves 1.° Qui nequit totum recitare officium, tenetur ad illam, quam potest, partem; ut habetur ex prop. 54. ab Innoc. XI. proscripta, cujus sunt verba: *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.* 2.° Qui in Quadragesima non potest unicam servare comestionem, debet abstinere a carnibus, si potest; et contra: et si non potest omnibus diebus, tenetur iis, quibus potest. 3.° Qui totum non potest audire Sacrum, tenetur ad partem. Sed vide dicenda in III. append. num. 16. 4.° Qui obligatur visitare limina Apostolorum, non tenetur iter ingredi, si nequeat eo pervenire. Et ita similia resolves.

(7) Impotentia non excusat eum, qui illius cum peccato dedit caussam: at iste si postea de peccato doleat, excusatur.

lege positiva ; proximum, et remotum in lege naturali, uti ajunt communiter Theologi : nam eadem lex ad aliquid obligando, obligat etiam amovere omne id, quod opus impedit.

CAPUT VII.

DE CAUSIS, QUIBUS DESINIT OBLIGATIO LEGIS.

73. *QUænam sunt causæ, ex quibus lex desinit obligare ?*
Plures, nempe metus, vis, ignorantia, impotentia physica vel moralis, dispensatio, privilegium, interpretatio, epicheja, abrogatio, cessatio legis, lex contraria, et consuetudo (8).

SECTIO I.

DE DISPENSATIONE, ET PRIVILEGIO.

74. *QUid est Dispensatio ?*
Est exemptio a lege, ab habente potestatem alicui concessa cum cognitione causæ.

75. *Quotuplex est dispensatio ?*
Alia est totalis, quæ a tota aliquem eximit legis obligatione: et alia est partialis, quæ eximit a parte obligationis. Alia est expressa, quæ fit verbis expressis : et alia est tacita, quæ fit aliquo facto, ex quo apparet mens superioris; v. g. si Pontifex scienter ordinet irregularem, tacite cum eo dispensat. Alia est directa, et alia indirecta : directa est, quando superior directe aliquem eximit a legis obligatione ex vi suæ potestatis: indirecta vero, quando superior tantum declarat aliquem lege non obligari in casu peculiari ob aliquam circumstantiam.

76. *Quotuplex esse potest potestas dispensandi ?*
Duplex, ordinaria, et delegata : prima est, quæ alicui competit ratione sui officii: secunda est, quæ recipitur ex concessione habentis ordinariam.

(8) De tribus primis sermonem instituimus in tractatu de actibus humanis : de impotentia superius, et alibi: hic loquimur de ceteris.

77. *Quinam habent facultatem dispensandi?*

Jure ordinario omnes, qui possunt leges condere; obligatio enim legis a voluntate legislatoris dependet.

78. *Summus Pontifex potestne dispensare in lege naturali, aut positiva divina?*

Minime; quia est inferior, et subditus istarum legum (9).

79. *Inferior potestne dispensare in lege superioris?*

Minime, nisi ex delegatione superioris, vel ex legitima consuetudine; quia non est dominus legis superioris (q10).

80. *Num Archiepiscopus possit jure ordinario dispensare in lege Episcoporum suorum suffraganeorum?*

Minime; non est enim superior suorum suffraganeorum, nisi in actu visitationis, et in causa appellationis.

81. *An Vicarius generalis dispensare possit in lege Episcopi?*

Minime sine expressa facultate sui Episcopi; quia est inferior.

82. *Potestne Vicarius Capitularis dispensare in lege Episcopi defuncti?*

Maxime; iste enim assequitur omnem defuncti Episcopi jurisdictionem (r).

83. *An habentes facultatem dispensandi possint secum dispensare?*

Possunt; secus essent inferioris conditionis, quam subditi: et secundum aliquos possunt immediate, nempe a seipsis; secundum alios mediate, alteri scilicet delegantes facultatem dispensandi, ut hic postea cum eis dispenset.

84. *Quinam possint delegare facultatem dispensandi?*

Omnes qui habent facultatem ordinariam.

---

(9) At dices, quod Pontifex de facto dispensat in hisce legibus, sicut in voto, in matrimonii solutione etc. ergo etc. Ad hoc aliqui respondent, quod Pontifex dispensat tantum indirecte; uti summus legis Dei interpres: alii autem dicunt in hisce casibus summum Pontificem habere facultatem ex peculiari concessione Dei, juxta illud a Christo Domino ad Petrum: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Matt. 16. 19.

(q) *Can.* Inferior *4. dist. 21. cap.* Cum inferior *16. de majorit. et obedient. Clement.* Ne Romani *2. de electione etc.*

(10) Possunt Episcopi in suis diœcesibus etiam dispensare in legibus Concilii provincialis, modo non sint Concilio specialiter reservatæ: ita communiter.

(r) *Cap.* Episcopali sede *unico de majorit, et obed. in 6. alibique.*

85. Delegatus potestne alteri subdelegare?

Minime, nisi de expressa concessione; etenim non est dominus legis (*s*). Excipitur 1.° delegatus Apostolicus, qui potest subdelegare in omnibus, quæ expresse ei non prohibentur a superiore (*t*). Excipitur 2.° delegatus a principe (*u*) 3.° Delegatus *ad universitatem caussarum;* iste quoque potest suam potestatem subdelegare, non quidem totam, sed pro una vel altera caussa (*x 11*).

86. Requiriturne causa ad valorem dispensationis?

Distinguitur: vel dispensatio impertitur a legislatore, et non requiritur causa; tota enim legis vis a voluntate legislatoris dependet: vel dispensatio impertitur ab inferiore in lege superioris, et requiritur causa; quia inferior non est dominus legis (*12*).

87. Peccatne legislator dispensando sine causa?

Alii negant, præciso scandalo, vel alio damno extrinseco; quia est dominus legis: alii dicunt peccare graviter; agit enim contra justitiam distributivam, et eruitur ex Trid. præsertim sess. 24. cap. 5. alii denique volunt peccare tantum leviter.

88. Num peccat, qui utitur dispensatione valida sine causa concessa?

Litigant doctores: nonnulli dicunt non peccare, aut tantum venialiter; quia valide fuit lex relaxata: alii autem docent peccare mortaliter; nam iste agit contra justitiam legalem, et contra sui ipsius gubernationem.

89. Quænam sunt causæ, ob quas dispensari potest?

Ex jure canonico sunt tres, pietas, necessitas, et utilitas(*y 13*).

(*s*) *Cap.* Cum *caussam 62. de appell. et alibi.*

(*t*) *Cap.* Quoniam Apostolica *ult. de offic. et potest. judic. delegati.*

(*u*) *Cap.cit.* Cum caussam *in fine.* (*x*) *Ex l.* Quod dicitur *1.§.1.D.quis et a quo etc.*

(*11*) Ille dicitur *ad universitatem caussarum* delegatus, cui non solus usus et exercitium, sed ipsum committitur officium, cui adnexa est jurisdictio, potestas etc. Ejusmodi sunt Vicarii, Viceparochi, Vicerectores etc. Adi B.A.Ligorium lib.vi. n. 566.vers. *Generaliter.*

(*12*) Hinc ipse Summus Pontifex sine justa caussa invalide dispensat in lege Dei, in juramento, voto etc. Item Episcopus in lege communi Ecclesiæ etc.

(*y*) *Ex cap.* Ex multa *9. de voto, et voti redempt.*

(*13*) Si caussa est tantum sufficiens, potest superior licite concedere, vel negare dispensationem; vel uni concedere, et alteri negare. Si vero talis est caussa, ut dispensationem esse debitam efficiat, peccat superior eam negans, graviter vel leviter juxta materiam. Denegata tamen dispensatione (etiam injuste), tenetur subditus; quoniam adhuc viget lex.

90. *Quænam dicitur dispensatio subreptitia, et quænam obreptitia?*

Subreptitia est, quando in petitione dispensationis reticetur aliqua veritas, quæ est exprimenda ex dispositione juris, ut valida sit dispensatio : obreptitia vero quando in petitione exponitur aliqua falsitas, qua cognita, dispensatio non fuisset concessa.

91. *Estne valida dispensatio obreptitia, vel subreptitia?*

In modo superius expressa non valet; nam superior semper dispensat implicita conditione *si res ita est, et nihil occultatur* (z).

92. *Quibus modis cessare potest dispensatio?*

Tribus modis, cessatione caussæ finalis, revocatione dispensantis, et renuntiatione dispensati.

93. *Cessante causa finali cessat ne dispensatio?*

Si cessat causa ante concessionem, nulla est dispensatio, caussa non subsistente (14). Si cessat post concessionem, et ante executionem, litigium est inter Theologos: aliqui dicunt valere dispensationem, alii negant, alii autem rationabilius sic distinguunt: si dispensatio est de re individua, uti esset de aliquo impedimento, puta matrimonii, irregularitatis etc. et valet dispensatio, quamvis ante executionem et usum cesset causa finalis; nam per dispensationem rite obtentam obligatio, vel impedimentum jam fuit ablatum: si autem dispensatio est de re dividua, et successiva, puta de aliquo præcepto, quod successivum habet tractum, cessat dispensatio, cessante causa finali; quia præcepto adhuc existente, persistere debet causa finalis, ut quis a præcepti obligatione eximatur (✻).

94. *Quid dicendum, si dispensatio sit per delegationem, et cesset causa finalis ante delegationis executionem?*

Nulla dicenda est dispensatio, si res est integra; quia cessante causa finali cessat delegatio (a).

(z) *Plur. jur. canon. loc.*

(14) Non cessat dispensatio cessante caussa impulsiva: neque cessat, cessante parte caussæ motivæ, dummodo pars reliqua satis sit ad dispensationis valorem.

(✻) Ex hac probabiliori sententia sequentes solvuntur casus. 1. Valet dispensatio irregularitatis, impedimenti matrimonii, ætatis ad ordines vel ad beneficia requisitæ, interstitii etc. quantumvis ante excutionem finalis cesset caussa. 2. Qui propter infirmitatem dispensatus est in jejunio, abstinentia a carnibus, voto Religionis, onere recitandi horas canonicas etc. tenetur ad ista, si omnino convaluerit, etc.

(a) *Ex cap.* Si pauper 3o. *de præbend. in 6.*

95. An dispensatio delegata cesset morte delegantis?

Si hæc dispensatio absolute est concessa, nempe in favorem et gratiam delegati, non cessat; quia comparatur donationi, quæ durat post mortem donatoris: uti est facultas audiendi confessiones, absolvendi a reservatis etc. (*b*) Excipe tamen, si hæc facultas alicui conditioni sit alligata, e. g. *ad arbitrium nostrum, donec nobis placuerit*, et similia; tunc enim sicut per mortem desinit concedentis beneplacitum et arbitrium, sic et facultas, ac dispensatio (*c15*): nisi vigeat consuetudo contraria, ceu in Ecclesia Neapolitana. Si autem dispensatio fuit alicui demandata in favorem alterius, seu per modum commissionis pro certo casu, tunc cessat morte concedentis, si res est integra; quia est verum mandatum, quod expirat morte mandantis (*d16*).

96. Num per revocationem cesset dispensatio?

Maxime, quando non est effectum sortita; tota enim dispensatio a voluntate legislatoris dependet (*17*).

97. Quid est Privilegium?

Est privata lex in favorem alicujus, seu facultas a legitimo

(*b*) *Ex reg. jur.* Decet *16. in 6. et aliunde.*

(*c*) *Cap.* Si gratiose *5. de rescriptis in 6.*

(*15*) Non cessat tamen dispensatio (vel alia facultas) morte concedentis, si sit commissa clausula *donec revocetur:* sic etiam non spirat morte Pontificis, vel Episcopi, si sit *ad arbitrium S. Sedis*, *vel Ordinarii*, *cit. cap.* Si gratiose.

(*d*) *Ex cap.* Relatum est *19. de offic. et potest. judic. delegati.*

(*16*) Intelligitur, si facultas dispensandi relinquatur arbitrio delegati; quæ dici solet *gratia facienda.* At si in rescripto delegatus designatur tamquam merus executor necessarius, quæ dicitur quoque *gratia facta*, tunc non expirat facultas, *cap.* Si super gratia *9. de offic. et potest. judic. deleg. in 6.*

Facultas delegata cessat etiam 1. morte delegati, si delegatio est personalis: realis vero transit ad successores: 2. per cessationem delegantis ab officio, re integra: 3. per delegati depositionem, re integra: 4. per delegantis revocationem: 5. lapsu præfixi temporis, vel finito negotio: 6. per delegati renuntiationem; *innum. canon. et ll.*

(*17*) Revocatio sine caussa valida est, si sit a superiore facta: contra si sit ab inferiore.

Per renuntiationem expressam vel tacitam cessat dispensatio, modo renuntiatio sit a superiore acceptata.

Quod supra num. 84. 85. 94. 95. et 96. de facultate delegata dispensandi diximus, valet etiam de quacunque delegata facultate.

Quod attinet ad dispensationes S. Pœnitentiariæ legi potest appendix Busembai, quæ reperitur etiam apud B. A. Ligorium lib. 1. tract. 2. in fine: ista multa complecitur ad praxim utilia, quin potius necessaria.

superiore alicui permanenter concessa aliquid agendi vel non præstandi, contra vel præter legem (e).

98. Differtne a dispensatione ?

Utique; nam privilegium non est semper contra legem, sed plerumque præter legem; dispensatio est semper contra legem: privilegium est permanens; talis non est dispensatio.

99. Quotuplex est privilegium ?

Multiplex; sed præcipue dividitur 1. in personale, quod directe conceditur personæ in ejus favorem; et reale, quod alicui conceditur relate ad aliquam rem, e. g. dignitatem, officium, locum etc. 2. dividitur in temporale, quod confertur ad tempus determinatum; et perpetuum, quod est semper duraturum.

100. Quinam possunt privilegium concedere ?

Superiores, qui sunt legis domini.

101. Potestne privilegiatus uti privilegio extra territorium concedentis ?

Si privilegium est personale, et non est contra speciale statutum territorii, ubi reperitur, potest privilegiatus eo uti; quia tale privilegium adhæret personæ ubicumque moratur: secus non potest. (18)

102. Quomodo est interpretandum privilegium ?

Si est contra jus, vel in alterius præjudicium cedit, hujusmodi privilegium stricte est interpretandum; quia odiosum est (f):

(e) *Ex can.* Privilegia 3. *dist.* 3. *et cap.* Abbate 25. *de verb. signific.*

(18) Privilegiatus non tenetur, ordinario loquendo, privilegio uti, *ex regula jur.* 61. *in* 6. Sequentes excipiuntur casus. 1. Si privilegium sit potius in favorem proximi, et proximo per se inferret damnum privilegiatus eo non utendo: v. c. Confessarius privilegium habens absolvendi a reservatis, post auditam confessionem tenetur eo uti. 2. Si privilegium cedat in bonum commune alicujus status, ordinis, communitatis etc. uti est privilegium canonis et immunitatis pro clericis. 3. Si privilegium impedimentum tollat ad servandum præceptum: e. g. infirmus domi habens oratorium privatum, faciliter potens domi missam audire (uti esset, si habere posset Sacerdotem gratis, aut cum medico stipendio, ex probabiliori sententia; at non tenetur ad hoc Sacerdotem conducere stipendio magno), tenetur privilegio uti. 4. Si privilegium sit reale, nempe addictum loco, vel dignitati, vel statui; quemadmodum sunt privilegia concessa Episcopis, Regularibus etc. Ita B. A. Ligorius, Salm. Saur. Sanch. Sylvest. Avil. cum aliis.

(f) *Cap.* Licet 12. *de offic. judic. ordinar. cap.* Cum capella 16. Pastoralis 19. Dudum 31. *de privileg. etc. cap.* Is qui 1. *et* Si quis 2. *de fil. presbyter. in* 6. *et alibi.*

aliter late est interpretandum, favores enim sunt ampliandi (*g*).

103. Quibus modis cessat privilegium?

Pluribus modis: et 1. elapso tempore, si est temporale. 2. Cessante causa finali. 3. Cessante conditione, sub qua fuit concessum. 4. Mutatione materiæ, uti si fiat iniquum, injustum etc. 5. Per renuntiationem illius, in cujus favorem fuit concessum. 6. Per non usum tempore legitimo, modo sit privilegium cum gravamine aliorum. 7. Per abusum. 8. Per revocationem superioris, sive expressam, sive tacitam (*h*).

SECTIO II.

DE INTERPRETATIONE, ET EPICHEJA.

104. Quid est Interpretatio?

Est verbi, vel sensus legis clarior explicatio: seu mentis legislatoris ex ejus verbis aliisque signis distincta repræsentatio.

105. Quotuplex est?

Triplex, authentica nempe, quæ fit ab ipso superiore; doctrinalis, quæ fit a doctis, et piis; et usualis, quæ fit ab usu communi, juxta illud legis effatum *Optima est legum interpres consuetudo* (*i*).

106. Quænam regulæ observandæ sunt in legis interpretatione?

Plures: 1. ut attendatur præcipue ad legislatoris mentem ex circumstantiis, quibus lex fuit lata. 2. Ut verba sensu generali et communi accipiantur, nisi absurdum, aut inutile, aut injustum exprimunt. 3. In pœnis stricte facienda est interpretatio, et benigna in favoribus ex reg. 15. juris in 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* 4. Ordinario non est facienda extensio a casu ad casum similem (*k19*). 5. Denique facienda est

(*g*) *Cap.* Quia circa 22. *de privileg etc. l.* Beneficium 3. *D. de constitution. princip. aliubique.* (*h*) *Ex innumer. canon. et ll.*

(*i*) *L.* Si de interpretatione 37. *D. de legibus etc.* (*k*) [*art. 8.*]

(*19*) Dixi *ordinario*, quia in correlativis, æquiparatis, connexis, et subordinatis, atque aliis licet aliquando extensio fieri: sicuti etiam, ut aliqui volunt, quando eadem currit àdæquata ratio, ita ut, si extensio non fieret, legislator argui posset de injustitia vel imprudentia.

interpretatio juxta usum et consuetudinem, quæ est optima legis interpres (*l*).

107. Quid est Epicheja?

Est prudens benignaque legis interpretatio secundum æquum et bonum, qua creditur aliquis casus peculiaris ob aliquas circumstantias non esse in generali lege comprehensus (*m*).

108. Est ne licitus Epichejæ usus?

Maxime: imo aliquando necessarius, quando in casu peculiari si lex attendatur, malum potius quam bonum evenit (*n*).

SECTIO III.

DE ABROGATIONE, ET CESSATIONE LEGIS.

109. Quid est Abrogatio legis?

Est legis abolitio secundum omnes suas partes: quod si fiat secundum aliquam partem tantum, dicitur Derogatio (*o*).

110. Quisnam potest legem abrogare, vel derogare?

Ipse legislator; quia lex a sua voluntate dependet.

111. An lex cessat per abrogationem?

Maxime; sic enim est voluntas legislatoris.

112. Quibus aliis modis cessat lex?

Multis aliis modis: et 1. per legem contrariam; quia posterior legislatoris voluntas præfertur priori. 2. Si lapsum sit tempus, vel negotium sit completum, pro quo lata est lex. 3. Mutatione materiæ, quando fit nociva communitati, vel inutilis. 4. Cessante causa finali. 5. Denique per consuetudinem contrariam, uti inferius (*p*).

113. Quid requiritur, ut lex cesset cessante causa finali?

Requiritur, ut cesset vera causa finalis, tota et adæquata,

(*l*) *Ex innumer. ll. et canon.*

(*m*) *Ex D. Thoma 1. 2. q. 96. a. 6.*

(*n*) *Argum. ex l.* Ex his 4. et Nulla juris 25. *D. de legibus etc.*

(*o*) *L.* Derogatur 102. *D. de verb. significat.* (*p*) *Plur. utriusq. jur. loc.*

et respectu totius communitatis, quidquid alii sentiant; quia pro communitate lex fertur (*q20*).

SECTIO IV.

DE CONSUETUDINE.

114. Quid est Consuetudo?

Est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex (*r*).

115. Quotuplex est consuetudo?

Triplex: alia dicitur contra legem, quæ legem præexistentem abrogat, vel derogat: secunda præter legem, quæ novum jus introducit: tertia dicitur juxta legem, et est illa quæ legem existentem in usum deducit, vel interpretatur.

116. Quænam consuetudo habet vim legis?

Sola consuetudo præter legem; ista enim introducit legem novam, quæ prius non existebat: nam consuetudo contra legem, istam destruit; et consuetudo juxta legem, legem existentem in praxim deducit.

117. Quænam conditiones requiruntur ad consuetudinem?

Plures: 1. ut materia possit esse materia legis. 2. Ut introducatur per actus voluntarios, frequentes, et a majori saniorique populi parte, et animo se obligandi, vel legem abrogandi. 3. Ut habeatur diuturnitas temporis. 4. Ut adsit legislatoris consensus saltem legalis, scilicet ut sciat legislator et non impediat consuetudinem, cum possit eam impedire.

118. Quænam lex tollitur per consuetudinem?

Tantum lex humana modo rationabili: non vero naturalis,

(*q*) *Abbas in cap.* Cum cessante 60. de appellation. *num. 2. S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 2. in corp.*

(20) Neque expectanda est declaratio Legislatoris, vel consuetudo contraria, juxta communissimam et probabilissimam sententiam.

In lege naturali, cessante tota caussa finali in casu peculiari, cessat obligatio; hujusmodi enim lex quemquam hominem peculiarem potius respicit: e. g. cessat obligatio correctionis fraternæ, si non est profutura.

(*r*) *D. Isidorus lib. 6. de etymol.*

aut positiva divina; istæ enim non dependent a voluntate humana, et agere contra istas leges est abusus atque corruptela, non vera consuetudo (*s*).

119. *Quanti temporis spatium requiritur, ut dicatur consuetudo legitime introducta?*

Nullum est in jure definitum, et judicis arbitrio, spectatis locorum et rerum circumstantiis, potius quam generali aliqua regula definiendum est. Nonnulli Theologi idem tempus assignant pro consuetudine, quod est pro legitima præscriptione immobilium, decennium nempe pro lege civili, et quadraginta annos pro lege ecclesiastica: multi assignant etiam decennium pro lege ecclesiastica. At per omnes, si adsit legislatoris conniventia, sufficit etiam parvum tempus.

120. *An per consuetudinem legitimam contra legem eximatur quis a legis obligatione?*

Maxime; quia consuetudo jam legitime introducta legem abrogavit (*t*).

121. *Num legitima consuetudo præter legem obliget in conscientia?*

Utique; quoniam est vera lex (*u*).

122. *Peccantne illi, qui consuetudinem introducunt contra legem?*

Maxime, et peccant toto tempore donec consuetudo legi non prævaleat; nam eo tempore lex viget, et obligat.

123. *Ex quotuplici capite interrumpitur consuetudo?*

Ex duplici: vel quando legislator ei resistit; vel quando populus in majori parte occasione occurrente contra eam agit.

(*s*) *Cap.* Cum tanto *final. de consuetud.* (*t*) *Cit. cap.*

(*u*) *L.* De quibus 32. Diuturna 33. Sed et ea. 35. *de legibus etc. D. Thom.* 1. 2. q 97. a. 3.

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS.

Agere contra morum regulas peccatum est, uti diximus in duobus antecedentibus tractatibus: hic fusius exponimus quid sit peccatum. In duas partes hanc pertractationem dispescimus, in quarum una sermo erit de peccatis in genere, in altera de nonnullis peccatis in specie.

PARS I.

DE PECCATIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA, ET DIVISIONE PECCATORUM.

1. QUid est Peccatum?

A D. Augustino definitur *transgressio legis*, seu *dictum*, *vel factum*, *vel concupitum contra legem Dei æternam* (a*).

(a) *Lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 3. et lib. 22. contra Faustum cap. 27. D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 6.*

(*) Convenit hæc definitio etiam peccato originali; peccatum enim originale ortum habet a facto, concupito, et commissum fuit a nobis, non formaliter et actualiter, sed virtualiter, nempe in causa morali, ut ait Apostolus ad Rom. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt.* Convenit quoque peccato contra legem positivam, sive divinam, sive humanam; quia lex omnis a lege æterna descendit: proindeque qui peccat contra quamcumque legem, peccat etiam saltem indirecte contra legem æternam. Convenit denique peccato omissionis; nam ex D. Thoma loc. cit. *Affirmatio, et negatio reducuntur ad idem genus; et idem pro eodem accipiendum dictum et non dictum, factum et non factum etc.*

2. *Quotuplex est peccatum?*

Multiplex: et 1.° ratione diversæ originis aliud est originale, aliud personale: peccatum originale est macula illa a peccato Adæ orta, et in omnes homines per carnalem et ordinariam generationem transfusa (*): peccatum personale est illud, quod propria voluntate peccantis committitur. 2.° Ratione objectorum, circa quæ versatur peccatum, aliud dicitur carnale, aliud spirituale: primum perficitur delectatione carnali, ceu luxuria, gula etc. secundum perficitur delectatione spirituali, uti superbia, avaritia etc. 3.° Ratione legis violatæ aliud est commissionis, aliud omisssionis: primum opponitur præcepto negativo: secundum præcepto affirmativo. 4.° Ratione diversæ radicis aliud est ex ignorantia, quod procedit ex ignorantia vincibili: aliud ex infirmitate, quod ortum habet ex gravi concupiscentiæ motione, ex tentatione, passione etc. et aliud ex malitia, quod procedit ex prava voluntate operantis, juxta illud Job. 34. 27. *qui quasi de industria recesserunt ab eo (Deo).* 5.° Peccatum aliud est cordis, quod tantum interiori voluntate committitur; veluti odium, pravum desiderium etc. aliud est oris, quod perficitur verbis, veluti perjurium, blasphemia etc. et aliud est operis, quod opere perficitur, sicuti furtum, fornicatio etc. 6.° Dividitur in actuale, et habituale: actuale est ipse actus contra legem: habituale est macula remanens in anima ex peccato actuali non retractato. 7.° Denique aliud est mortale, et aliud veniale, ut infra dicetur.

3. *Quale est peccatum philosophicum?*

Est illud, quod repugnat naturæ rationali seu rectæ rationi, at non repugnat legi Dei; quatenus committitur ab homine advertente tantum ad disconvenientiam sui actus cum recta ratione, non vero ad legem et offensam Dei: quapropter non est offensivum Dei, nec divinam amicitiam dissolvens, neque dignum pœna æterna.

4. *Daturne peccatum philosophicum?*

Non datur; et constat ex prop. ab Alexandro VIII. proscri-

(*) Dicitur per *carnalem generationem* ad excludendum Jesum Christum, qui ex natura fuit exemptus a peccato originali, utpote conceptus de Spiritu Sancto: dicitur per *ordinariam generationem* ad excludendam B. Virginem, quæ privilegio extraordinario exempta fuit a culpa originali, uti pie credimus.

pta (*): nam qui peccat contra rectam rationem, simul et indivisibiliter peccat contra legem Dei, et Deum offendit rationis auctorem; dictamen enim rectæ rationis est intimatio legis æternæ, et nemo invincibiliter ignorare potest, quidquid naturæ rationali disconvenit, contrarium esse Deo istius rationalis naturæ auctori.

5. *Quænam requiruntur ad constituendum peccatum?*

Tria: moralis malitia actionis, advertentia ad hanc malitiam, et liber consensus.

6. *Quotuplex esse potest hujusmodi advertentia?*

Duplex, actualis seu expressa, et virtualis seu interpretativa: prima habetur cum agens de facto advertit suæ actionis malitiæ, vel illius periculo, sive in se, sive in causa: altera habetur cum agens potest et debet huic malitiae advertere, quamvis de facto non advertat.

7. *Sufficitne ad peccatum advertentia virtualis, an requiratur semper actualis?*

De hoc non una est omnium sententia. Sed præstat affirmare sufficere virtualem, si agentis ignorantia sit aliquo modo voluntaria, vel ob negligentiam, vel ob culpabilem passionem, aut habitum pravum; vel ob voluntariam inconsiderationem: quia tunc sua culpa non advertit. Contra, si nullo ex prædictis modis sit voluntaria ignorantia; e contraria ratione.

8. *Quotuplex esse potest consensus?*

Etiam duplex, expressus seu directus, et implicitus seu indirectus: unus est cum quis expresse et in se vult aliquid: alter est cum quis vult caussam, ex qua necessario oritur effectus.

9. *Sufficitne consensus indirectus, an requiratur semper directus?*

Sufficit indirectus; quia talis consensus satis est ad efformandum voluntarium, sicut diximus in 1. tract, num. 15. et 16. nam qui vult causam, indirecte vult etiam effectum a causa secuturum.

(*) Propositio ajebat: *Philosophicum (peccatum) quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

CAPUT II.

DE PECCATORUM GRAVITATE.

10. Quid est peccatum mortale?

Est gravis transgressio divinæ legis, directe opposita legis substantiæ, privans animam gratia sanctificante, et merens pœnam æternam.

11. Quid est peccatum veniale?

Est levis transgressio divinæ legis, non observans legis perfectionem, quæ minuit tantum fervorem et nitorem gratiæ sanctificantis, et meretur pœnam temporalem.

12. In quo conveniunt peccatum veniale, et mortale?

Conveniunt in hoc, quod ambo sunt actus moraliter mali, ambo sunt offensa Dei, ambo digna supplicio, et ambo non possunt elici ad promovendam alicujus finis honestatem.

13. In quo differunt peccatum mortale, et veniale?

In hoc, quod mortale est contra legis substantiam, ut ait D. Thomas (*b*), et veniale est præter legem, nempe non observat modum rationis, seu legis perfectionem: primum privat animam gratia sanctificante, secundum tantum minuit hanc gratiam: primum meretur pœnam æternam, secundum temporalem.

14. Danturne peccata mortalia; et venialia?

Maxime, et patet ex Scripturis (*) et ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 11. et can. 23. atque sess. 14. cap. 5.

15. Quotuplici modo peccatum esse potest mortale, aut veniale?

Dupliciter, vel per se, vel per accidens: per se dicitur, quod tale est de natura sua, uti blasphemia de natura sua est mortale peccatum, mendacium jocosum de sua natura est leve: per accidens dicitur illud, quod tale non est de natura sua, sed fit tale ex aliqua circumstantia.

(*b*) *1. 2. q. 88. a. 1. ad 1.*

(*) Ipse Salvator Matth. cap. 7. aliqua peccata assimilat festucæ, en peccata venialia; alia assimilat trabi, en mortalia: Apostolus ad Rom. 1. postquam recensuit aliqua peccata subjunxit: *Qui talia agunt, digni sunt morte*; en peccata mortalia: Prov. 24. 16. dicitur: *Septies cadet justus*; en venialia.

16. Ex quibus capitibus mortale per se potest transire in veniale per accidens?

Ex tribus, aut ratione imperfectæ advertentiæ (1), aut ratione imperfecti consensus, aut ratione parvitatis materiæ; ad mortale enim requiritur gravitas materiæ, perfecta advertentia, et plenus consensus.

17. Danturne peccata, quæ non admittunt parvitatem materiæ?

Maxime, et sunt illa, quæ in omni parva materia gravem continent malitiam.

18. Quænam sunt ista peccata?

Sunt sequentia: vitia virtutibus theologicis opposita, perjurium stricte sumptum, blasphemia, simonia de jure divino, fractio sigilli sacramentalis, fractio jejunii naturalis ad Eucharistiam requisiti, actus venerei, sive interni sive externi, deliberate commissi extra matrimonium, et contemptus formalis legis, vel legislatoris (2).

19. Ex quibus capitibus veniale per se transit ad mortale per accidens?

Ex istis, quæ hisce versiculis continentur:

Scandala, finis, amor, discrimen, temptus, et error,
Vel levium nexus; his leve grande fiet.

1. *Scandala*, nempe ratione gravis scandali, quod peccato veniali datur. 2. *Finis*, ratione finis mortaliter peccaminosi adjuncti; veluti si quis leves injurias profert ad inducendum aliquem ad blasphemandum. 3. *Amor*, ratione ultimi finis; quando nempe quis ad aliquod veniale ita est affectus, ut sit paratus potius mortale admittere, quam illud veniale omittere. 4. *Discrimen*, nempe ratione periculi proximi mortalis; uti si quis ex curiositate aspiciat mulierem cum proximo periculo pravi consensus, delectationis etc. 5. *Temptus*, seu ratione contemptus formalis legis, vel legislatoris (3). 6. *Error*, hoc est ratione con-

(1) Sive ad actum, sive ad malitiam actus; scilicet si quis conscientia invincibiliter erronea judicat mortale esse veniale.

(2) Juxta Theologorum dictionem quando dicitur peccatum esse grave ex genere suo, hoc peccatum admittit parvitatem materiæ; quando autem dicitur grave ex toto genere suo, hoc peccatum non admittit materiæ parvitatem.

(3) Contemptus legis vel legislatoris duplex esse potest; aut materialis, aut for-

scientiæ erroneæ, qua quis credit mortale, quod revera est veniale, et illud admittit. 7. *Levium nexus*, quando parvæ materiæ coalescunt, et materiam gravem efficiunt.

20. Ex pluribus venialibus potestne fieri unum mortale?

Minime, sed tantum disponitur ad mortale. Excipe, si materiæ sint coalescentes vel in se, uti in furtulis, vel relate ad idem præceptum, seu ad eundem effectum, uti plures parvæ omissiones divini officii in eodem die (4).

21. Quibus modis remittuntur venialia?

Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. remittuntur non solum per Sacramentum Pœnitentiæ, sed etiam per alios modos. Præcipui sunt contritio; nam si hæc sufficit ad tollenda mortalia, a fortiore sufficit ad venialia: attritio secundum aliquos; quia dolor inferioris conditionis sufficit ad delenda peccata levia: receptio aliorum Sacramentorum cum debita dispositione, et sine affectu ad venialia: actus virtutum, modo eliciantur ad venialium deletionem: et Sacramentalia.

22. Quænam sunt ista Sacramentalia?

Hæc: *Tinctus*, *Orans*, *Edens*, *Confessus*, *Dans*, *Benedictus*. Per verbum *Tinctus* venit aspersio aquæ benedictæ, impositio cineris etc. Per *Orans* oratio, et præsertim *Pater noster*. *Edens* devota manducatio panis aliusve cibi benedicti. Per *Confessus* confessio generalis peccatorum, seu *Confiteor*. Per *Dans* elargitio eleemosynæ, et aliæ operæ misericordiæ. Per *Benedictus* benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati.

23. An ista Sacramentalia per se et immediate remittunt venialia?

Minime; sed remote et mediate, quatenus per hæc a Deo recipimus auxilium gratiæ perseverantis, et excitantis nos ad bo-

---

malis: primus habetur, quando quis non observat legem; tunc indirecte spernit legem ac legislatorem, et talis contemptus habetur in omni peccato; vel quando quis spernit legem vel legislatorem, uti legem injustam, legislatorem iniquum etc. et iste contemptus ne potest quidem dici formalis: si quis autem legem legislatoremve spernat, prout est lex, vel legislator, en contemptus formalis. Talis contemptus formalis ultimo sensu explicatus non admittit parvitatem materiæ; quia in quacumque materia semper continet gravem injuriam contra potestatem legislativam, quæ a Deo est; juxta illud Luc. 10. 16. *Qui vos spernit, me spernit.*

(4) Relege quæ dicta sunt in antecedente tract. n. 51. et 52.

nos eliciendos actus pœnitentiæ aliarumve virtutum, sufficientes ad venialium remissionem obtinendam.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA, ET NUMERICA PECCATORUM.

24. *Quid est Species peccatorum?*

Est diversa malitia, seu difformitas, quam peccata continent cum recta ratione.

25. *Omnia peccata suntne ejusdem speciei moralis?*

Minime; diversa enim peccata diverso modo opponuntur legi æternæ, diversamque in se continent malitiam, ac difformitatem cum recta ratione.

26. *Undenam desumitur distinctio specifica peccatorum?*

Desumitur ex oppositione ad diversas virtutes, vel ad diversa officia ejusdem virtutis, vel ad eandem virtutem modo diverso, puta per excessum, aut per defectum: nam actus malus rationem peccati accipit ex oppositione, quam habet ad id, quod est bonum et honestum (5).

27. *Distinctio specifica peccatorum potestne desumi ex diversitate præceptorum?*

Maxime, quando præcepta obligant ex diverso motivo formali, seu ex diverso motivo virtutum; et ratio est, quia læsio horum præceptorum est diversa oppositio ad virtutes (6).

(5) Ex hoc de facili colligitur, quod eo gravius sit peccatum, quo perfectiori virtuti opponitur. *D. Thom. 1. 2. q. 73. a. 4.* Immo quo sublimius est aliquod ejusdem virtutis officium, eo gravius est peccatum illi officio adversum: e. c. furto gravius est homicidium, quia sublimiori officio ejusdem virtutis justitiæ opponitur. Attamen subinde evenit, aliquod peccatum, etsi inferiori oppositum virtuti, gravius esse alio peccato superiori virtuti adverso, cum nempe illud maximo officio inferioris virtutis, istud minimo superioris opponitur: e. c. sodomia majus est peccatum, quam perjurium, etsi religio castitatem antecedat, *idem. 2. 2. q. 144. a. 2.*

Quo gradu procedant virtutes, et earum officia habetur in 1. append.

(6) Hinc si quis non audit Missam die festo, ad quam tenetur etiam ratione pœnitentiæ, duo peccata committit specie distincta; nam hæc duo præcepta obligant ex diverso motivo: e contraria ratione si quis non audit Missam die Dominico, in quo incidit etiam aliud festum, unum committit peccatum, quamvis duo præcepta violet; quia ista duo præcepta præcipiunt Missæ auditionem ex eodem motivo formali.

28. An distinctio specifica peccatorum possit desumi ex eorum circumstantiis?

Affirmative, quando hæ circumstantiæ specialem continent inordinationem ad rectam rationem, seu diversam oppositionem ad virtutes: ratio patet ex dictis superius.

29. Peccata suntne numero distincta?

Maxime; nam si specie, numero etiam distinguuntur; distinctio enim specifica necessario secum fert distinctionem numericam: imo peccatum ejusdem speciei potest repeti, ideoque multiplicatur (7).

30. Undenam desumitur distinctio numerica peccatorum?

Desumitur ex diversitate specierum, quæ in actu reperiuntur, nempe tot sunt peccata numero distincta, quot sunt malitiæ in actu diversæ. Ad dignoscendam autem distinctionem numericam in eadem specie sequentes assignantur regulæ. Si sermo sit de actibus internis, distinctio desumitur ex eorum interruptione. Si sermo sit de actibus externis, desumitur ex actibus in suo esse completis, seu ad alterius peccati complementum non ordinatis. Adest tertia regula pro actibus tam internis, quam externis, nempe ex diversitate objectorum, quæ respicit actus, quando ista objecta sunt integra et totalia. (8✻)

---

(7) Quapropter axioma est inter Theologos: *Species numerat*, idest quot sunt species, tot sunt etiam peccata numero distincta: et *Numerus multiplicat;* scilicet quoties multiplicantur actus intra eandem speciem, tot peccata committuntur numero distincta.

Hic non intelligitur numerus physicus, sed moralis actionum: evenire enim solet, ut in unico actu physico plura peccata numero distincta notentur; et e converso, uti clarius dicetur infra.

(8) Non desunt tamen qui hanc negant tertiam regulam.

(✻) Ex datis regulis sequentia deducuntur.

Diversa numero committit peccata, qui unico ictu plures homines occidit, ferit etc. qui unico actu pluribus detrahit; qui unico cogitatu optat ad plures feminas accedere, vel pluries ad eandem, aut pluries eandem cognoscit, etsi brevi tempore; qui a pluribus, etiamsi eodem tempore, furatur, vel pluribus unica vice malum desiderat, aut dat scandalum etc. qui unico actu vult per plures dies horas canonicas omittere, jejunium non servare etc.

Probabilius plura committit peccata, qui alicui detrahit in diversis materiis; vel eum diversis afficit contumeliis; vel diversa mala alicui optat, præsertim si mala ista specifice sint considerata; Confessarius in lethali plures successive absolvens; Clericus

31. *Quandonam actus interni dicuntur moraliter interrupti ?*

Quando non perseverant formaliter, seu in se; nec virtualiter, seu in aliquo effectu; ita ut posterior actus non possit dici effectus prioris.

32. *Quotuplici modo interrumpuntur actus interni ?*

Quadruplici modo : 1. formaliter, nempe per formalem retractationem voluntatis: 2. per voluntariam cessationem : 3. virtualiter, nempe per actum virtutis illi peccato oppositæ: 4. per moram temporis, quicquid aliqui dicant (9).

33. *Quantum temporis debet intercedere, ut actus per moram dicantur interrupti ?*

Multi multa dicunt: sed quod certum est, tantum temporis debet intercedere, ut actus posterior non sit effectus aut consequentia anterioris (10).

34. *An per cessationem involuntariam, puta per somnum, interrumpatur actus ?*

Dissidium est inter doctores: probabilius dicendum, quod si cessatio sit notabilis, interrumpitur actus : dummodo actus anterior non fuerit tam vehemens, ut ex ista vehementia resurgat actus post cessationem.

35. *Peccata cordis, oris, et operis circa idem objectum sunt ne numero distincta ?*

Si hæc peccata sunt, alterum alteri, subordinata, et inter

---

qui in mare officium projiciendo, vel alio modo culpabili redditur impotens ad recitandum, tot peccata committit, quot sunt omissiones, quas prævidet, etc.

Quæstio est utrum diversa numero committat peccata, qui unico actu plures blasphemat Sanctos, Animas etc. qui coram pluribus alicui detrahit.

Probabilius unum peccatum admittit, qui negat plures fidei articulos; Sacerdos in lethali pluribus ministrans Eucharistiam unica vice; Clericus omittens eodem die plures horas, vel partes divini officii.

(9) Juxta innumeros DD. peccata interna *cordis*, quæ nempe interne omnino perficiuntur, interrumpuntur statim ac multiplicantur, ita ut tot sint peccata, quot sunt actus voluntatis consentientis. Nonnulli excipiunt, si ex eodem motu hujusmodi actus procedant. Actus vero interni circa peccata *oris* vel *operis* interrumpuntur modis supra expositis.

(10) B. A. Ligorius sentit non posse eumdem actum ultra duos vel tres dies ad summum perseverare.

se non disjuncta per moram temporis, tunc unum efformant peccatum; aliter sunt numero distincta (*).

36. *Cogitationes, verba, tactus, qui copulam subsequuntur, suntne nova peccata?*

Aliqui dicunt esse nova peccata a priore distincta; quoniam ad aliam copulam disponunt. Possunt tamen aliquando esse effectus ejusdem actus anterioris (11).

CAPUT IV.

DE CIRCUMSTANTIIS PECCATORUM.

37. *Quid est Circumstantia?*

Est quædam qualitas actui adnexa, sine qua actus etiam subsisteret.

38. *Quot sunt circumstantiæ?*

Septem hoc versiculo contentæ: *Quis*, *Quid*, *Ubi*, *Quibus Auxiliis*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*.

39. *Quid indicant hæc verba?*

Indicant, *Quis* qualitatem agentis, puta si sit ligatus matrimonio, voto etc. *Quid* qualitatem rei, vel personæ, quam actio respicit, e. g. si res furata sit sacra, si persona offensa sit Sacerdos etc. *Ubi* qualitatem loci, in quo commissa est actio: *Quibus Auxiliis* media, vel instrumenta, quibus est commissum peccatum, uti si homicidium sit commissum veneno, maleficio etc. fornicatio sit commissa metu gravi etc. *Cur* finem extrinsecum agentis, veluti furtum ad donandum meretrici etc. *Quomodo* modum peccandi, ut si quis habuerit coitum extra vas proprium etc. *Quando* denique indicat qualitatem temporis, quo commissum est peccatum, puta si in die festò etc.

40. *Quotuplicis generis sunt circumstantiæ?*

Sunt multiplicis generis. Aliæ sunt indifferentes, quæ non

(*) Hinc cogitatio turpis, verba obscena, oscula, tactus, et postea copula unum sunt peccatum, si omnia ad copulam erant ordinata: secus sunt numero distincta.

(11) Idem est de actibus habitis post quodcunque aliud consummatum peccatum.

influunt in moralitatem actionis. Aliæ sunt mutantes speciem, illæ nempe quæ actioni afferunt novam malitiam: et hoc triplici modo evenire potest; aut corrumpendo actionem moraliter bonam, et in eam inducendo malitiam; uti eleemosyna solo fine captandi vanam gloriam: aut inducendo malitiam in actionem indifferentem; veluti esset manducare in Ecclesia: aut denique addendo actioni malæ aliam distinctam malitiam; ut est blasphemare in Ecclesia. Aliæ circumstantiæ sunt aggravantes; quæ nempe aggravant malitiam actionis in eadem specie: et istæ etiam sunt triplicis generis: aut parum aggravantes, quæ parum aggravant actionis malitiam; uti dimidium caroleni in furto aliquo præ alio: aut notabiliter aggravantes, quæ notabiliter aggravant malitiam actionis; sicuti est in furto summa viginti aureorum præ decem: aut denique in infinitum aggravantes, quæ nempe veniale peccatum transferunt in mortale; uti esset parva materia ei ablata, qui tam pauper est, ut ex isto furto grave sentiret incommodum. Demum aliæ circumstantiæ sunt minuentes, illæ nempe quæ minuunt malitiam actionis in eadem specie: et etiam sunt triplicis generis, nempe aut parum minuentes, aut notabiliter, aut in infinitum. Quod si aliqua circumstantia totam aufert malitiam actionis, tunc dicitur etiam mutans speciem; uti si quis aliquid surripiat in extrema necessitate.

41. Peccare die festo estne circumstantia influens in moralitatem actionis?

Dissidium est inter Theologos. At ego sic distinguerem: si illud peccatum impedit sanctificationem festi, ceu ebrietas, et dico hanc circumstantiam temporis inducere aliam malitiam in actione: quia hoc peccatum est etiam contra præceptum sanctificationis diei festi; omne enim præceptum obligat ad removendum impedimentum ejus adimpletionis, ut dictum est in tractatu præcedenti n. 72. Secus non influit in moralitatem actionis, e ratione contraria.

CAPUT V.

DE CONSUETUDINE PECCANDI.

42. Q*uid est Consuetudo?*

Est quædam facilitas orta ex repetitis et frequentatis actibus, inclinans hominem et inducens ad ejusdem speciei actus frequentandos (12).

43. *Quot actus requiruntur ad efformandam consuetudinem peccandi?*

Secundum aliquos quatuor vel quinque actus sufficiunt; secundum alios plures requiruntur. Sed hoc intelligendum intra aliquod temporis intervallum, nempe ut actus sint tempore distincti, et non per longum tempus disjuncti.

44. *An aliquoties sufficiunt pauciores actus ad consuetudinem?*

Maxime, et est quando tali vehementi delectatione vel passione committitur peccatum, ut animus remaneat illaqueatus; sicuti evenire solet in copula, pollutione dedita opera habita etc.

45. *Consuetudinarius differtne a recidivo?*

Differunt in hoc, quod consuetudinarius dicitur ille, qui peccat, et non confitetur: recidivus est qui peccat, confitetur, et iterum peccat eodem modo.

46. *An ille qui habet consuetudinem peccandi, peccat quoties peccatum ex consuetudine committit absque advertentia?*

Litigium adest inter doctores: aliqui dicunt peccare tantum in causa; quia illa peccata voluntaria sunt in causa, non in actu: alii vero affirmant peccare quoties actus committit; quoniam actus ipsi sunt contra legem, et commissi sunt consensu indirecto, et virtuali advertentia, quæ sufficiunt ad peccatum (13).

---

(12) Consuetudo peccandi idem est ac habitus peccandi. Si actus non sunt ejusdem specici, tunc dicitur consuetudo late sumpta; de qua idem debita proportione dictum intelligatur, quod hic exponitur de consuetudine stricte sumpta.

(13) Eadem valet quæstio de quocunque, qui aliquam dat causam, ex qua mali sequuntur effectus, ut puta admittit ebrietatem, ignorantiam etc. At pœnæ, reservationes, obligationes etc. non incurruntur, nisi exteriori effectu secuto.

47. *Quid si interrupta sit consuetudo, puta per confessionem, per contritionem, et quis ex præterita consuetudine absque advertentia peccata committit, suntne hæc peccata ei imputata?*

Minime; iste enim non peccat in actu, quia sine advertentia; non in causa, quæ jam ablata est.

48. *Num ille qui habet consuetudinem peccandi, peccet, si ad illam advertit, et eam extirpare non conatur?*

Maxime, et peccat quoties advertit, et non conatur eam tollere; unusquisque enim adhibere tenetur omnia media ad tollenda peccata, eorumque pericula.

49. *Consuetudinarius estne absolvendus?*

Si dederit signa pœnitentiæ, prudentia Confessarii potest absolvi (✠): at si nulla præsetulerit emendationis signa, non est absolvendus, et patet ex prop. 60. ab Innoc. XI. proscripta (*).

50. *Recidivus estne absolvendus?*

Ordinario non est absolvendus; quia cum lapsus sit eadem facilitate post confessionem, dat quasi certitudinem moralem, quod non sit dispositus. Dixi *ordinario;* nam si dederit signa extraordinaria emendationis, tunc potest absolvi (14).

51. *Quænam sunt signa extraordinaria emendationis?*

Multa ac diversa a Theologis numerantur: at dicendum in genere esse illa, quæ sunt rara et difficilia (✠✠).

(✠) At si diuturna sit consuetudo, non est statim absolvendus, nisi aliquod dederit extraordinarium emendationis signum.

(*) *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, vel Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.*

(14) Idem debita proportione tenendum est de eo, qui in venialibus recidivus, vult de illis absolutionem recipere. Ad hoc vitandum poterit iste Confessioni subjicere aliquod præteritum peccatum, de quo jam est emendatus, vel illa venialia, de quibus noverit verum habere dolorem et propositum.

(✠✠) Hæc solent a DD. tradi extraordinaria signa. 1. Major contritio per lacrymas, suspiria, aut verba cordialia patefacta, modo ex cordis compunctione oriantur. 2. Minor peccatorum numerus, cum fuerit pœnitens in iisdem tentationibus, occasionibus etc. vel si pœnitens post ultimam Confessionem diu se continuerit, puta per 20. vel 30. dies, cum antea pluries in die, aut hebdomada prolabi soleret: aut post magnum conflictum relapsus sit. 3. Si pœnitens ex animo quærat media ad se emendandum: et accurate impleat media a Confessario præscripta; præsertim in occasione fugienda. 4. Confessio omnino spontanea ad solum finem acquirendi gratiam: præcipue

52. *Num pœnitens Confessario manifestare teneatur consuetudinem peccandi?*

Vel est interrogatus a Confessario, et tenetur ei consuetudinem manifestare; Confessarius enim tanquam judex et medicus habet jus interrogandi, et pœnitens obligationem dicendi veritatem; et oppositum fuit ab Innoc. XI. damnatum in prop.58 (*). Vel non est interrogatus, et etiam tenetur, si ejus manifestatio necessaria sit, ut Confessarius rectum efformet judicium: secus non tenetur.

CAPUT VI.

DE OCCASIONE PECCANDI.

53. *Quid est Occasio peccandi?*

Est omne id, quod allicit ad peccatum, vel ex natura sua, vel ex fragilitate subjecti.

---

si magnum conatum, aut aliquid aliud extraordinarium adhibuerit, ut ad Confessionem accederet. 5. Si jam restituerit ablatum, vel proximi famam reparaverit. 6. Si accedat ex aliquo extraordinario motivo ductus, puta auditæ concionis, mortis alicujus, aut ex timore pestis, terremotus etc. Et alia id genus.

Quod autem notandum est non requiri certitudinem physicam de pœnitentis dispositione, ut Confessarius illum absolvat; sed, cum materia in hoc Sacramento sit moralis, sufficere certitudinem moralem, nempe ut habeat Confessarius prudentem probabilitatem de hujusmodi dispositione. Nec vero in peccatoris conversione probanda debet Confessarius aliquam generaliter statutam temporis quantitatem servare, ut aliqui inepte tradunt; sed potius animi dispositionem: nam ex can. *Mensuram* 86. dist. 1. de pœnit. *Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris*: et D. Chrisostomus lib. de repar. laps. ait: *Non temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo pensatur.* Immo aliquando expedit, ut pœnitens adjuvetur absolutione, et etiam Communione sicuti habetur ex Rituali Romano de Sacram. Pœnit. ubi sic legitur: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur, et si expediat, communicent*: nam melius speratur de constituto in amicitia Dei per absolutionem, quam de non habente gratiam per dilationem. Quare Confessarius Deo se commendet, et Deo inspirante, ex circumstantiis occurrentibus absolutionem differat, vel impertiatur. Non negatur tamen posse Confessarium etiam disposito absolutionem differre, semper ac prudenter judicet dilationem utilem fore pœnitentis emendationi: sed ordinario loquendo magis proderit dispositos absolvere. Utinam et omnes Confessarii tunc solum pœnitentes absolverent, cum signa vera isti afferunt!

(*) *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

54. Differtne a consuetudine?

Differt in hoc, quod occasio est ab extrinseco, nempe extra agentem extat periculum peccati; et consuetudo est ab intrinseco, scilicet in ipso agente habetur peccandi periculum.

55. Quotuplex est occasio?

Alia est remota, alia proxima: prima est, in qua quis positus nunquam, aut raro peccavit, et prudenter credit se non esse peccaturum: secunda est illa, in qua quis positus semper, vel frequenter peccavit, vel prudenter credit se peccaturum. Occasio proxima duplex esse potest, voluntaria, et necessaria: voluntaria est, quæ tam physice, quam moraliter deseri potest: necessaria est illa, quæ aut physice, aut moraliter tolli non potest (15 *).

56. Si quis raro reperitur in aliqua occasione, et semper ac in ea reperitur, peccat, hæc occasio dicenda est proxima, an remota?

Proxima dicenda est; quoniam ad constituendam occasionem proximam non requiritur, ut quis semper aut frequenter in ea reperiatur; sed sufficit, ut peccet, semper ac in ea reperitur.

57. Tenemurne fugere occasionem?

Vel occasio est remota, et non tenemur eam fugere; secus enim teneremur (juxta illud Apostoli 1. Corint. 5. 10.) ex hoc

---

(15) Occasio dicitur moraliter non posse deseri, quando tolli nequit sine peccato, vel sine periculo vitæ, aut infamiæ, aut scandali, magnæve jacturæ bonorum etc.

Impotentia habenda est ex parte occasionarii, non vero ex parte alterius, ut dicatur occasio necessaria.

(*) Versatur in occasione proxima. 1. Qui domi retinet mulierem, cum qua sæpe peccavit. 2. Qui in aliqua domo, conversatione etc. ebrietates, vel rixas, verba aut gestus lascivos admittit. 3. Qui in ludo blasphemias, fraudes, aut alia peccata committit. 4. Ancilla quæ ab hero vivide sollicitatur: potest tamen excipi, si illa sit in pietate satis firma, et salutaria adhibeat remedia. 5. Juvenis et puella, qui se invisunt animo contrahendi matrimonium: hoc raro est permittendum summa prudentia Confessarii, remoto omni periculo ex utraque parte. 6. Probabiliter in occasione proxima reperitur sartor in accipienda commensuratione mulierum, eisque vestes adaptando; quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attrectatione, et raro accidit sine proximo periculo pravæ delectationis, desiderii etc. idque Confessarius non permittat, nisi experientia contrarium constet. Idem dicendum de ipsis mulieribus, quæ hoc sibi fieri permittunt. 7. Ordinario proxima occasio est viris mulierum comam componere, præsertim si juvenes sint: idque nunquam permittendum, nisi contraria habeatur experientia. Item est de mulieribus, quæ ad hoc viros arcessunt. 8. Si non proxima, periculosa saltem occasio est, mulieres, præsertim puellas, a viris doceri legere, eo magis scribere.

mundo exire: quævis enim creatura hujus mundi potest esse nobis occasio peccandi. Vel occasio est proxima voluntaria, et tenemur eam deserere; quia voluntarie manemus in proximo periculo peccandi, et *Qui amat periculum, in illo peribit*, Ecclesiast.3.27. Vel occasio est proxima necessaria, et tenemur adhibere media salutaria, ut e proxima fiat remota (✻).

58. Quid si adhibitis mediis occasio non fieret remota?

Tunc adhibenda sunt media validiora: et istis omnibus adhibitis, si occasio adhuc est proxima, omnino est tollenda quocumque detrimento temporali, uti ait Servator Matth. 18.9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te.*

59. An sit fugienda occasio, quando adest aliqua causa utilis vel honesta eam non fugiendi?

Maxime: nam hæc occasio est voluntaria, neque habetur impotentia physica, neque moralis; quod patet etiam ex prop. 62. damnata ab Innoc. XI. (*)

60. An liceat directe quærere occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro aut proximi?

Negative; quia quæritur directe malum: hinc merito ab Innoc. XI. fuit proscripta prop. 63. hoc asserens (**).

61. Potestne absolvi occasionarius?

Si occasio est remota, potest absolvi; ratio patet ex superius dictis: si occasio est proxima voluntaria, non est absolvendus; quoniam indispositus est, et in contrarium adest prop. 61. ab Innoc. XI. damnata (***): si autem est proxima necessaria, adhibitis mediis ut fieret remota, potest absolvi. (✻✻)

(✻) Media sunt meditatio, et præcipue passionis D. N. J. C. ac novissimorum; oratio ad Deum et B. Virginem; fuga otii; mortificatio, præsertim affectuum animi, corporisque sensuum; frequentia Confessionis; et alia quæ directe et immediate sunt occasioni contraria.

(*) Verba propositionis erant *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.*

(**) *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.*

(***) Propositio ajebat: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

(✻✻) Ordinario non est absolvendus ille, qui cum reperiatur in occasione proxima

CAPUT VII.

DE DELECTATIONE MOROSA PECCATI, DESIDERIO, ET CONSENSU SEU PROPOSITO.

62. *Quid est Delectatio morosa ?*

Est deliberata complacentia objecti pravi cogitati, sine intentione illius assecutionis, vel executionis (*16*).

63. *Quid est Desiderium ?*

Est motus voluntatis, quo fertur in aliquod objectum, illius assecutionem optando.

64. *Quid est Consensus seu Propositum ?*

Est actus voluntatis, quo fertur in objectum aliquod, statuendo illud exequi.

65. *Quotuplex esse potest delectatio morosa ?*

Potest esse alia de objecto pravo, alia de cognitione objecti, et alia de modo exequendi aliquam rem.

66. *An delectatio morosa de aliquo objecto pravo sit peccaminosa ?*

Maxime; nam est vera actio humana contra legem, et suam desumit malitiam ab objecto, quod respicit; unde prohibita est præcepto decalogi *Non concupisces.*

67. *Cujus speciei et gravitatis peccatum est delectatio morosa?*

Est ejusdem speciei et gravitatis, ac est objectum, circa quod versatur; omnis enim actus ab objecto malitiam gravitatemque desumit (*c*).

---

voluntaria, promittit se illam deserturum, nisi prius de facto illam deserat; præsertim si occasio est *in esse*: quia maximopere res ardua est occasionem talem deserere; et experientia constat fere nunquam impleri hujusmodi promissiones. Dixi *ordinario*; quoniam si pœnitens extraordinaria dederit emendationis signa, potest Confessarius sua prudentia illum absolvere; præcipue siqua sit absolutionis necessitas.

(*16*) Dicitur *morosa* non a mora temporis, sed a mora rationis, qua quis advertit ad cogitationem objecti pravi, et de eo se delectat.

Gaudium est delectatio de præterito: simplex delectatio respicit tempus præsens.

(*c*) *D. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8. in corp.*

68. *Utrum delectatio morosa specialem sumat malitiam ex circumstantiis, quæ cum objecto sunt conjunctæ?*

Vel delectatio est non solum de objecto, sed etiam de circumstantiis, et tunc etiam ex circumstantiis sumit specialem malitiam; uti per se patet. Vel est tantum de objecto, et non de circumstantiis, tunc quæstio est inter Theologos: aliqui dicunt etiam desumere specialem malitiam ex circumstantiis; quia sunt cum objecto revera conjunctæ: alii docent negative; nam sicut delectatio est in mente, mente possunt circumstantiæ ab objecto separari.

69. *An sit peccaminosum desiderium de re mala sub conditione* si non esset mala?

Vel hæc conditio aufert totam malitiam objecti, ut pote possibilis est, (uti evenit in rebus, quæ sunt malæ, quia prohibitæ) et desiderium non est graviter peccaminosum; sicut esset desiderium manducandi carnes die veneris, si non esset prohibitum: at est leviter peccaminosum; quia periculosum, vel saltem otiosum. Vel hæc conditio non aufert totam malitiam objecti, utpote impossibilis (uti evenit in rebus intrinsece malis), et est peccaminosum (contra aliquos) prout est objectum; nam conditio impossibilis habetur tanquam non apposita: veluti si quis vellet blasphemare, si non esset peccatum (17).

70. *Licetne gaudere de opere malo, sed inculpabiliter patrato, puta per ignorantiam invincibilem etc?*

Vel causa, ob quam opus patratum non imputatur, aufert malitiam actionis non solum formalem, sed etiam materialem (quatenus agens ad observationem legis non tenebatur), et licet de eo gaudere; quia objectum desinit esse malum: vel causa malitiam aufert tantum formalem, et non materialem (quatenus agens tenebatur ad legem), et non licet, quicquid aliqui somnient; quia objectum in se remanet in sua malitia (*).

---

(17) Sed existimo hanc secundam partem non semper esse tenendam saltem pro ignorantibus, et idiotis: nam qui sic desiderat, revera non vult peccatum.

At ex veriori sententia actualis delectatio de malo sub conditione si *malum non esset*, semper culpabilis est; quia reddit sibi objectum præsens, quod hic et nunc est malum, cum hic et nunc absit conditio cohonestans.

(*) Hinc non est licitum filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate

71. *Potestne quis gaudere de opere malo patrato ob effectum bonum inde secutum ?*

Minime ; nam sicut non sunt facienda mala, ut eveniant bona , sic non licet se delectare de malo ob bonum inde secutum; et patet ex eadem prop. 15. ab Innoc. XI. damnata.

72. *An possit quis se delectare de bono ab opere malo secuto ?*

Potest, dummodo se non delectet de opere malo: nam effectus est bonus, et se delectare de bono non est malum.

73. *An liceat se delectare de morte, vel alio malo proximi, vel ista optare ?*

De morte vel malo spirituali proximi nunquam licet se delectare; quoniam ex charitate tenemur bonum spirituale proximo optare et velle. De morte vel de alio malo temporali proximi ob bonum finem spiritualem licet; quia est de re bona proximi. De morte aliove malo proximi temporali ob bonum commune licet se delectare; bonum enim commune peculiari prævalere debet: ob bonum peculiare non licet; cum sit contra caritatem (*d*): habentur in contrarium duæ prop. 13. et 14. damnatæ ab Innoc. XI (*).

74. *Estne conjugibus licita delectatio de copula habita vel habenda inter se ?*

Dummodo non adsit notabilis spirituum commotio generationi inservientium, neque periculum pollutionis, licet (etsi alii contra sentiant) ; quia non est de objecto malo , cum copula sit inter conjuges permissa (*e*) : attamen juxta plurimos non caret culpa veniali.

---

perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas, ut est prop. 15. ab Innoc. XI. damnata ; quia ebrietas tollit tantum malitiam formalem , et non materialem homicidii. Vice versa potest quis se delectare, quod in infantia ederit carnes in diebus prohibitis ; non enim tenebatur ad legem ; ideoque esus pro ipso ne objective quidem erat malus.

(*d*) *S. Thom. 3. sent. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4.*

(*) Prima ajebat : *Si cum debita moderatione facies , potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari , et de illius morte naturali gaudere , illam inefficaci affectu petere , et desiderare ; non quidem ex displicentia personæ , sed ob aliquod temporale emolumentum.* Altera erat : *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris , non quidem ut malum patris , sed ut bonum cupientis : quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

(*e*) *S. Thom. de Malo q. 15. a. 12. ad 17.*

75. *Estne licita sponsis de futuro delectatio de copula in matrimonio habenda, vel viduis de copula habita?*

Nequaquam, omissa contraria opinione; quoniam isti se delectant in tempore inhabili: sed potius dicendum non licere ob periculum pollutionis.

76. *Est ne licitum se delectare de cognitione rei malæ?*

Si adest delectatio de ipsa re mala, vel ejus periculum, nunquam est licitum; nam per accidens evadit intrinsece malum: sine delectatione et ejus periculo licet, dummodo adsit necessitas, vel utilitas: si autem hæc cognitio est ex simplici curiositate, non vacat culpa veniali (*f*).

77. *Estne licita delectatio de modo patrandi aliquod malum?*

Si ipse modus non est malus, licet; non enim delectatur de malo: si modus autem est malus, non licet; quia delectatio esset de malo (*18*).

(*f*) *D. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8. in corp.*

(*18*) Excipi posset, quando quis de modo malo se delectat, non uti malo, sed tanquam miro, callido etc.

Quod dictum est de delectatione morosa, idem data proportione dicendum de desiderio, et consensu seu proposito: et ratione inversa dicendum est de tristitia concepta de aliquo bono.

PARS II.

DE QUIBUSDAM PECCATIS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE SCANDALO.

78. *Quid est Scandalum?*

Est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis (19).

79. *Quotuplex est scandalum?*

Duplex est activum, et passivum: activum est supra definitum: passivum est ipsa spiritualis ruina ex dicto vel facto minus recto orta.

80. *Quotuplex est scandalum activum?*

Duplex, per se, et per accidens: primum est, quando quis expresse, vel implicite, directe, vel indirecte dat occasionem ruinæ spiritualis: alterum est, quando quis occulte et secreto operatur ad scandalum vitandum; attamen per accidens videtur, vel auditur.

81. *Quotuplex est scandalum activum?*

Etiam duplex, datum, et acceptum: datum quando ipsum dictum vel factum est scandalosum: acceptum, quando dictum vel factum non est tale, sed accipitur scandalum aut ex malitia scandalizati, aut ex ejus fragilitate vel ignorantia: si provenit ex malitia, dicitur Pharisaicum; quia Pharisæi ita scandalizabantur de operibus Christi: si provenit ex fragilitate vel ignorantia, dicitur scandalum Pusillorum.

---

(19) Dicitur *dictum* vel *factum*, quia nonnisi per externam actionem haberi potest scandalum; et per dictum vel factum intelligitur etiam non dictum et non factum: *minus rectum*, nam non requiritur, ut actus revera sit malus; sed sufficit, ut habeat speciem mali: præbens *occasionem*, et non causam, quia non requiritur, ut inductus revera labatur; sed sufficit, ut detur occasio lapsus.

82. Scandalum estne speciale peccatum?

Scandalum activum per se, sive directum sive indirectum, est speciale peccatum contra charitatem, qua tenemur quisque de proximo nostro: et est grave ex genere suo, sicuti constat etiam ex pœna a Christo Domino comminata Matth. 18. 7. *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Activum per accidens non est peccatum; quia neque directe, neque indirecte voluntarium. Passivum non est speciale peccatum; sed ejusdem speciei ac est lapsus.

83. Præter peccatum contra charitatem adestne in scandalo aliud peccatum?

Maxime, et quidem contra illam virtutem, contra quam est inductio (20).

84. Daturne casus, in quo quis loquitur vel agit minus recte coram aliquibus, et scandali peccatum non committit?

Datur, et est quando quis loquitur vel operatur male coram hominibus valde probis, qui ex alterius peccato sumunt magis occasionem virtutis, quam ruinæ; vel coram valde improbis, qui utpote scelesti, nullum accipiunt stimulum ex peccato alterius. Excipiuntur tamen actiones turpes, quippe quæ omnes commovere solent.

85. Quomodo manifestandum est scandalum in confessione?

Manifestando speciem inductionis, et numerum inductorum; nam quot fuerunt personæ inductæ, tot fuere peccata scandali commissa.

86. Mulier se ornans, et virorum aspectui se præsentans peccatne scandali peccato?

Si hæc mulier se ornat juxta morem patriæ, modestiam christianam, et qualitatem sui status, sine prava intentione, non peccat; quia utitur jure suo (*g*): si vero se ornat immodeste, inverecundo ornatu, vel cum prava intentione, peccat quidem; quia præbet occasionem libidinis (*h*).

---

(20) Hinc patet in quolibet scandalo activo per se duo saltem haberi peccata, contra charitatem nempe, et contra virtutem illam, contra quam est inductio.

(*g*) *D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. in corp. et alibi.*

(*h*) *Can.* Nec solo 12. *et* Qui viderit 13. *caus.* 32. *q.* 5.

*87. * Qui inhoneste se ornant, inciduntne in aliquam pœnam?*

Incidunt in casum reservatum absque excommunicatione, uti in tabella ultimo loco.

88. Quinam incurrunt hunc casum?

Mulieres, quæ ornatus gratia pectore, vel sinu, vel brachiis supra cubitum detectis sese conspiciendas dederint: nec non viri, qui induerint femoralia tam arcta, et inhoneste composita, ut naturalem pudorem lædant; ac sartores, qui ea efformaverint, eorumque venditores.

89. Quinam possunt absolvere ab hoc casu?

Omnes Confessarii post duos menses constantis emendationis, vel in gravi infirmitate: extra allatos casus requiritur specialis facultas. *

90. Quid dicendum, si mulier honeste et congruenter ornata se præsentat alteri, a quo scit turpiter amari, committitne peccatum scandali?

Si hoc facit ex necessitate, vel utilitate, non peccat; quia utitur jure suo, et charitas non obligat cum gravi incommodo; aliter peccat, quia urget charitas (21).

91. Quotuplici modo potest quis cooperari peccato alterius?

Duplici modo, vel remote seu materialiter, vel proxime seu formaliter: 1.° quando quis ponit aliquam actionem, qua proximus uti potest sine peccato, ut puta vendit ei vinum etc. 2.° quando quis ponit actionem, qua proximus uti non potest sine peccato, veluti scriptio epistolæ turpis, quam alter vult mittere ad amasiunculam.

92. An peccatum scandali committat ille, qui alterius peccato cooperatur?

Vel cooperatur formaliter, et peccat; actio enim saltem per accidens est intrinsece mala, et immediate influit in peccatum alterius: vel cooperatur materialiter tantum, et habitis conditionibus non peccat; quoniam actio per se non influit in proximi peccatum.

---

(21) Mulieres utentes veste virili, et viri veste muliebri cum prava intentione, aut periculo scandali vel libidinis, mortaliter peccant; venialiter vero, si hoc faciant ex levitate tantum; ne venialiter quidem, si ex justa causa.

93. *Quænam sunt conditiones requisitæ, ut cooperatio materialis non sit peccatum scandali?*

Sunt sequentes: 1. ut actio sit bona, vel saltem indifferens relate ad cooperationem: 2. ut ponatur absque intentione peccati alterius: 3. ut actio habeat remotum incursum ad peccatum alterius: 4. ut adsit justa et proportionata causa talem ponendi actionem: 5. denique ut agens non teneatur ex vi sui muneris impedire peccatum proximi (22 ✻).

94. *An liceat famulis scalam apponere, humeris sustinere herum suum ascendentem per fenestras ad fornicandum, ne aspiciantur ab hero torvis oculis, ne domo expellantur?*

Minime; nam omnia hæc immediate influunt in peccatum, et exposita motiva non sunt causa justa ponendi hasce actiones: patet etiam ex prop. 51. ab Innoc. XI. proscripta (*).

---

(22) Hinc nota, quod quanto gravius est peccatum ab alio committendum, et quando magis cooperatio accedit ad illud, eo major debet esse causa ponendi actionem, qua quis cooperatur.

(✻) Ex supradicta doctrina sequentes solvuntur casus. 1. Sponsa (idem est de sponso) justa de causa licite potest contrahere cum sponso, qui est in lethali peccato. At non potest, si sciat sponsum habere votum matrimonium impediens. 2. Minister potest Sacramenta ministrare peccatori, excommunicato, hæretico occulto publice petenti; et Confessarius etiam petenti privatim, si ex sola Confessione ejus novit peccatum. 3. Probabilius non licet famulis, nisi metu gravi, dominum vestire, qui vult ad lupanar se ducere, ad hoc equum sternere, dominum comitari etc. meretrici deferre munera, eidem venienti ostium aperire, eam curru vel sella in domum heri deducere, aut vocare. Idem dicendum de aurigis et nautis meretricem ad amasium vehentibus. 4. Non licet famulis, omissa contraria opinione, etiam metu gravi amatorias literas scribere vel deferre ad heri concubinam. 5. Probabilius non licet, nisi metu gravis damni, ministrare aut vendere cibos prohibitos comesturis in die vetito, vinum ebriosis, ornatus mulieri abusuræ. 6. Non licet, nisi metu mortis, gladium aut venenum dare aliquem occisuro, aut ostendere eum, qui ad necem quæritur. 7. Peccat puella munera acceptans ab eo, a quo scit turpiter amari. 8. Probabilius licet sola famulatus ratione usurarium adjuvare in numeranda pecunia, scribendis rationibus, deferendo pignore etc. At non licet, nisi gravi incommodo, usuras exigere. 9. Probabilius licet dare mutuum abusuro, si adsit justa causa.

(*) Propositio erat: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.*

95. Quid si famuli hæc faciant metu gravi mortis, mutilationis etc. excusanturne a peccato scandali ?

Multi affirmant; quia per se actio non est intrinsece mala, et metus gravis est justa atque rationabilis causa eam ponendi : alii vero negant; quia quamvis actio non sit per se, per accidens tamen est intrinsece mala ob immediatum concursum ad peccatum alterius.

96. Potestne quis petere Sacramentum ab indigno ministro, mutuum ab usurario, juramentum a perjuraturo etc ?

Vel habet justam gravem causam, et potest; nam hæc omnia possunt præstari sine peccato : vel justam causam non habet, et non potest, quidquid aliqui teneant; quisque enim sine gravi incommodo tenetur ex præcepto caritatis proximi vitare peccatum (✻).

97. Potestne quis præbere proximo occasionem peccandi ad ejus experientiam, vel correctionem ?

Minime, omissa contraria opinione; nam directe præbetur ansa peccandi (23✻✻).

98. An possit permitti talis occasio ob bonum finem, puta ad proximi emendationem ?

Potest, dummodo adsit spes emendationis, et alia desit via: quia licet malum permittere ob bonum consequendum. Intelligitur modo hujusmodi permissio sit impeditiva majoris mali.

99. Potestne quis minus malum suadere parato ad majus ?

Quamvis aliqui pauci contrarium sentiant, probabilius tamen dicendum, quod possit habitis conditionibus; suadetur enim

(✻) Ad Sacramentum a ministro peccatore licite recipiendum sequentes a DD. assignantur justæ causæ, videlicet si urgeat præceptum Confessionis, vel Communionis; si alias quis diu permanere deberet in mortali, immo etiam per modicum tempus; si quis alias carere deberet, saltem diu, Communione, aut Confessionis fructu, etiamsi non habeat peccatum; si ex dilatione susceptionis immineat periculum lapsus; si est implendum præceptum Missæ audiendæ; si quis indigeat illo Directore perito; ad lucrandum Jubilæum; ad Missam pro defuncto applicandam etc.

(23) A fortiori non licet occasionem præbere alia de causa.

(✻✻) Hinc mortaliter peccant componentes vel repræsentantes comœdias turpes; pingentes, efformantes, vel exponentes imagines obscœnas etc. absque justa causa : et probabilius etiam graviter peccant, qui pecunia vel plausu concurrunt ad comœdias turpes, etiamsi sine ipsis comœdia repræsentaretur.

illud minus malum, non ut malum, sed ut carentia majoris mali; et hoc est charitati consonum.

100. Quænam sunt hujusmodi conditiones?

Sunt tres sequentes: 1. ut nullo modo proximus diverti possit a majore malo, nisi suasione minoris: 2. ut minus malum sit ejusdem speciei ac majus: 3. ut nullum inferatur damnum sive spirituale sive temporale tertiæ personæ.

101. An teneamur omittere opera præcepta ad vitandum scandalum?

Si præcepta omitti nequeunt sine peccato, nunquam prætermittenda sunt ob alterius scandalum; non enim licet malum facere ad scandalum vitandum (*i24*). Si vero omitti possunt absque peccato, ad vitandum scandalum pharisaicum non tenemur; quoniam provenit ex malitia scandalizati, et patet etiam ex Christi exemplo: ad vitandum scandalum pusillorum, est quæstio: aliqui tenent esse omittenda; præceptum enim charitatis prævalet præceptis positivis: aliqui cum D. Thoma (*k*) negant, quia hoc scandalum est acceptum, non datum; nemo enim dat scandalum adimplens præcepta sibi imposita.

102. An idem dicendum sit de operibus bonis consilii?

Pro scandalo pharisaico idem est dicendum. Pro scandalo vero pusillorum opera consilii sunt omittenda, vel differenda, vel occultanda usquedum proximus moneatur, ratione charitatis, quæ postulat, ut aliquo modo consulamus proximi infirmitati, vel ejus ignorantiæ; et ita opera consilii commutantur in melius: dummodo hoc fieri possit sine gravi nostro detrimento (*l*).

(*i*) *Cap.* Cum ex injuncto 2. *de novi oper. nunciat.*

(*24*) Ex quo patet non posse omitti præcepta naturalia negativa ad scandalum vitandum: neque naturalia affirmativa, quando urgent hic et nunc.

(*k*) *2. 2. q. 43. a. 7. in corp.* (*l*) *D. Thom. loc. cit.*

CAPUT II.

DE SACRILEGIO.

103. *Quid et quotuplex est Sacrilegium ?*

Est violatio, seu indigna tractatio personæ, vel rei, vel loci sacri. Hinc triplex esse potest sacrilegium, personale, reale, et locale.

104. *Num ista sacrilegia sint specie distincta ?*

Maxime; quia formaliter diversa est sanctitas personæ, rei, loci sacri, quæ per sacrilegium læditur.

105. *Sacrilegium estne grave peccatum ?*

Ex genere suo est grave peccatum utpote contra Religionem, quæ est excellentissima inter morales virtutes.

106. *Quotuplici modo evenire potest sacrilega violatio personæ sacræ ?*

Multiplici modo: 1.° violentas manus in eam inferendo, aut aliquam actionem violentam contra illam exercendo contra privilegium canonis *Si quis suadente* 29. caus. 17. q. 4. 2.° Luxuriose tractando ejus corpus. 3.° Exigendo ab ea tributum. 4.° Eam foro sæculari subjiciendo (25).

107. *An persona Deo dicata semper ac peccat, committat sacrilegium ?*

Minime; quoniam non omnia vitia ei prohibentur ob personæ sanctitatem.

108. *Religiosus Sacerdos turpiter peccando committitne duplex sacrilegium ?*

Minime, quidquid aliqui somnient; quia tam ex professione, quam ex ordine tenetur ad castitatem ex eodem motivo formali: gravius tamen peccat.

109. *Persona non sacra committitne sacrilegium luxuriose agendo cum persona sacra ?*

Affirmative, violat enim sanctitatem personæ sacræ.

---

(25) Hæc duo non amplius vigent in nostro regno.

110. Persona sacra cum alia persona sacra luxuriose agendo quot sacrilegia committit ?

Duo; violat enim sanctitatem personæ propriæ, et personæ alterius.

111. An ligatus voto castitatis inducens alium ad luxuriam sacrilegium committat ?

Maxime, relicta aliquorum opinione, ob affectum ad illud peccatum, qualis affectus ei est interdictus etiam a voto castitatis. Idem dicito de delectatione morosa habita a persona sacra (26).

112. Quotuplici modo potest evenire violatio rei sacræ?

Multiplici modo; et 1. indigna susceptione, vel administratione, vel tractatione Sacramentorum. 2. Indigna tractatione Sacramentalium. 3. Abusu vasis consecrati, Crucis, altaris, imaginum Sanctorum, aliarumque rerum, quæ consecrari vel benedici solent. 4. Abusu Sacræ Scripturæ.

113. Quibus modis haberi potest furtum sacrilegum ?

Tribus modis, nempe auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel, juxta probabiliorem sententiam, non sacrum de sacro (m).

114. Qui surripit aliquid de Ecclesia, inciditne in aliquam pœnam?

Si adsit effractio et expoliatio Ecclesiæ, incidit in excommunicationem reservatam latæ sententiæ: hujusmodi excommunicatio ante denuntiationem Sedi Apostolicæ factam est Ordinario reservata: post talem denuntiationem est Papæ reservata (n).

115. Quid venit nomine effractionis ?

Violenta aperitio januæ, vel parietis, vel tecti etc. Ecclesiæ.

116. Quid venit nomine expoliationis?

Ut surripiatur ea quantitas, ob quam Ecclesia potest dici expoliata. Hoc vero est relativum ad statum et divitias Ecclesiæ.

117. Quid si quis effrangat sacristiam, et expoliet, inciditne in hanc pœnam ?

Maxime, dummodo sacristia faciat unum cum Ecclesia, nempe sita sit inter muros Ecclesiæ principaliores.

---

(26) Hucusque dictum de voto castitatis intellige de voto solemni: quod idem probabilius de voto quoque simplici dicendum est.

(m) *Can.* Quisquis *21.caus.17.q.4.§.2.* (n) *Ex cap.* Conquesti *22. de sent. excomm.*

118. Qui usurpat bona vel jura Ecclesiæ aliorumve locorum piorum, inciditne in aliquam pœnam?

Ex Trid. sess. 22. cap. 11. incidit in excommunicationem Papæ reservatam, a qua non potest absolvi, donec integre restituat. In hoc casu comprehenduntur etiam imperatores, et reges.

119. * *Debitores piorum locorum utrum incidant in aliquam pœnam, si non solvant debitum?*

Incidunt in casum reservatum nostro Ordinario absque excommunicatione „ si a rectoribus, vel procuratoribus, vel administratoribus locorum piorum etiam extrajudicialiter requisiti reditus censusve intra mensem non solverint; uti patet ex 5. casu in tabella. Eundem casum incurrunt etiam administratores dictorum debitorum, si non solverint, ut supra. *

120. Quotuplici modo evenire potest violatio sacrilega loci sacri?

Pluribus modis: et 1. per pollutionem Ecclesiæ vel Cœmeterii: 2. per violationem immunitatis Ecclesiæ: 3. per exercitium actionis profanæ in Ecclesia, utputa negotiationis, executionis sententiæ judiciariæ, profani colloquii etc. 4. per furtum in Ecclesia patratum, juxta probabiliorem opinionem (27).

121. Quotuplici modo polluitur Ecclesia?

Polluitur 1. per homicidium voluntarium: 2. per injuriosam effusionem sanguinis humani: 3. per effusionem seminis humani mortaliter illicitam: 4. per sepulturam excommunicati, vel interdicti vitandi: 5. per sepulturam infidelis, pagani etc. (*o*)

122. Quid requiritur, ut revera per ista capita polluatur Ecclesia?

In omnibus capitibus requiritur, ut factum sit publicum: in tribus prioribus capitibus requiritur etiam culpa gravis (*28*).

123. Polluta Ecclesia, polluitur etiam Sacristia, Cœmeterium, vel vice versa?

Si faciunt unum cum Ecclesia, polluuntur etiam; quia prin-

---

(27) Per meros actus internos in loco sacro habitos non violatur sanctitas loci; puta si quis in Ecclesia turpes habeat cogitationes.

(*o*) *Ex variis locis jur. can.*

(*28*) Quare non polluitur Ecclesia, 1. si homicidium est pure casuale, vel necessarium etc. 2. Si conjuges in Ecclesia ex necessitate coëunt, puta ad vitandam incontinentiam.

cipale trahit ad se accessorium : aliter non polluuntur. At non vice versa ; nam pars minus principalis non trahit ad se partem principaliorem.

124. Peccatne , qui Ecclesiam polluit ?

Peccat mortaliter, quoniam violat locum sacrum in re gravi.

125. Qui facit Sacrum in Ecclesia polluta, an peccet, et incidat in aliquam pœnam ?

Peccat graviter; quoniam agit contra Ecclesiæ præceptum in re gravi : at in nullam incidit pœnam, quidquid aliqui somnient; nulla enim adest pœna in jure statuta (29).

126. Quomodo reconciliatur Ecclesia polluta ?

Si est consecrata, per Episcopum : si est tantum benedicta, per simplicem Sacerdotem ; at requiritur licentia Episcopi , ex consuetudine.

*127. * Homicidia vel mutilationes in Ecclesiis , Cœmeteriis , aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis patrantes incidun tne in aliquam pœnam ?*

Incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam , uti ex 11. casu in tabella (30).

128. An incidat in hanc pœnam , qui casu, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit vel mutilat in præfatis locis ?

Minime , quia non habetur culpa.

129. An incurrat casum maritus , qui occidit aut mutilat in Ecclesia uxorem turpiter agentem , vel ejus complicem ?

Si hoc facit in instanti , non incurrit casum, quamvis peccet ; Ecclesia enim parcit tanto furori (p31): aliter incidit in casum.

130. Qui vulnerat , vel percutit , vel verberat , vel rumores , rixas, tumultus excitat in Ecclesiis, an incidat in aliquam pœnam ?

In excommunicationem nemini reservatam ex nostra Synodo ; præsertim si hæc committuntur tempore sacrificii, vel quan-

---

(29) Lege sis Bened. XIV. de Sacrif. Miss. lib. 3.

(30) Ad incurrendam hanc pœnam requiritur, ut ictus, ob quem sequitur homicidium vel mutilatio, recipiatur in dictis locis, quamvis offensor sistat extra (etsi alias aliqui opinentur). Quæstio est utrum in pœnam incidat, qui dat venenum in istis locis.

(p31) *Argum. desumt. ex cap.* Si vero 3. *de sentent. excomm.* Laudatum caput loquitur de uxore , matre , filia , vel sorore.

do expositum est venerabile Sacramentum: * et in pœnam captivitatis, prout est delictum (q).

131. Potestne esse sacrilegium in omissione?

Maxime, et est quando omittitur reverentia ex præcepto debita alicui rei sacræ.

132. Circumstantia temporis sacri addit ne peccato alicui rationem sacrilegii?

Non conveniunt inter se Theologi: sed probabilius non addit; quoniam ex D. Augustino non tempus ipsum, sed res in tempore Deo sacratur (32).

133. Quomodo est sacrilegium in confessione manifestandum?

Manifestando non solum genus sacrilegii, sed etiam species subjectas. (33)

CAPUT III.

DE BLASPHEMIA.

134. Quid est Blasphemia?

Est locutio contra Deum per modum convicii (r).

135. Quotuplex est blasphemia?

Multiplex: 1. alia est cordis, alia oris: prima est, quæ mente tantum concipitur: secunda est illa, quæ verbis exprimitur. 2. Alia est immediate, et alia mediate contra Deum: immediate, quando quis blasphemat ipsum Deum: mediate, quando quis blasphemat aliquam creaturam, in qua præcipue elucet aliquod Dei attributum; puta B. Virginem, Angelos, Sanctos, Animam humanam etc. 3. Dividitur in hæreticalem, et simplicem: hæreticalis est illa, quæ continet aliquam falsitatem con-

---

(q) [art. 102. p. 2.]

(32) Excipi potest, si notabilis irreverentia cultui irrogatur divino; uti si quis die Veneris Sancti exhiberet comœdias, publicos ludos etc.

(33) Contra profanatores, et violatores Sacramentorum, vel Ministrorum Ecclesiæ, templorum, aliarumve rerum sacrarum permultæ adsunt pœnæ a lege civili emanatæ, et aliquando etiam pœna capitis, sicuti videri potest in cod. noviss. part. 2. lib. 2. toto titulo 1.

(r) *D. Thom. 2. 2. q. 13. a. 1. in corp. et alibi.*

tra fidem ; e. g. *Deus est injustus :* simplex dicitur , quando nullam continet falsitatem. Blasphemia simplex dividitur in imprecativam , et dehonestativam : prima est quando quis aliquid mali Deo imprecatur: secunda est, quando aliquid profertur Deo conveniens , sed per convicium , indignationem etc. uti fuit illud Juliani Apostatæ: *Vicisti* , *Galilæe*, *vicisti* (✻).

136. Quale peccatum est blasphemia ?

Est peccatum mortale ex toto genere suo ; nam per blasphemiam positive deprimitur infinita Dei majestas, atque dedecoratur (*s*).

137. An blasphemiæ contra Deum, Virginem, Sanctos, specie differant ?

Maxime (quidquid aliqui sentiant) ratione diversi cultus, qui offenditur : quoniam blasphemia contra Deum offendit cultum Latriæ Deo debitum ; blasphemia contra Virginem offendit cultum Hyperduliæ ; et contra Sanctos cultum Duliæ.

(✻) Quare blasphemat: 1. Qui Deo maledicit. 2. Qui ait se aliquid facturum , Deo invito. 3. Qui Deum negat. 4. Qui serio jurat per falsos deos. 5. Qui Deum vocat tyrannum , injustum , nolle aut non posse juvare, non curare nostra etc. 6. Qui Dæmonem dicit fideliorem , sanctum , omnipotentem , aut plus posse , quam Deum. 7. Qui dicit non omnia esse bene ordinata etc. 8. Qui jurat per membra inhonesta Christi , Sanctorum etc. uti esset *Potta di Cristo* , *di S. Paolo etc.* dummodo per verbum *potta* intelligatur natura mulieris; minime vero, si utatur hoc verbo per modum interjectionis , causa furoris etc. 9. Qui maledicit membro alicui Christi , aut Dei , vel sanguini, vulneribus , passioni , morti Christi, vel Sacramentis , similibusve sacris, aut hæc injuriose usurpat; v. c. *perdat te Sanguis Christi etc.* 10. Qui maledicit creaturis, etiam ignobilibus , addito nomine Dei : c. g. *Managgia il fuoco di Dio etc.* 11. Qui maledicit diebus sanctis , puta Paschatis , Pentecostes etc.

Probabilius est blasphemia hujusmodi expressio *Managgia tutto il mondo ;* nisi intelligatur de mundo illo , qui Deo et Sanctis adversatur.

Quæstio est, utrum sint blasphemiæ sequentes expressiones : *Sangue di Dio : Corpo di Dio : Managgia Dio* , *Santo N. se l'ho fatto io* , si hoc profertur per modum jurandi : at si talis conditio addatur ad reparandam blasphemiam jam prolatam , tunc vera est blasphemia.

Probabilius non sunt blasphemiæ hæc verba : *Per vitam Dei*, vel *Sanctorum : Renego Deum , si hoc non fecero : Hoc est verum , sicut Deus : Sic erat a fato destinatum etc.*

Non est blasphemia jurare per membra honesta Christi : dicere *Managgia la fede tua*, modo intelligatur fides humana ; contra si quis dicat *fidem sanctam* aut *Christi.*

(*s*) *Omnes DD. cum. D. Thom. loc. cit. a. 2. in corp. alibiq.*

138. Blasphemantes incidunt in aliquam pœnam?

De jure communi variæ sunt contra blaspemos intentatæ pœnæ ferendæ sententiæ. * De jure nostro blasphemantes incidunt in casum reservatum Ordinario absque excommunicatione, uti ex 1. casu in tabellá (*).

139. Quænam conditiones requiruntur ad incurrendum hunc casum?

Sequentes: ut blasphemia sit contra Deum, vel B. Virginem; ut sit prolata ex perversa consuetudine, et coram pluribus supra quatuor.

140. An incurrit casum, qui blasphemat coram pluribus distractis, vel dormientibus, surdisve, aut infantibus etc?

Minime; isti enim non dicuntur formaliter præsentes, quando blasphemiam non percipiunt. *

CAPUT IV.

DE JUDICIO TEMERARIO, DUBITATIONE, ET SUSPICIONE.

141. Quid est Judicium?

Est mentis assensus sine formidine de opposito (34).

142. Quid est Dubitatio?

Est suspensio intellectus inter assensum et dissensum.

143. Quid est Suspicio?

Est mentis inclinatio ad assentiendum uni parti ita tamen, ut non omnino assentiamur.

144. Quotuplicis modi esse potest judicium?

Duplicis modi, aut prudens, aut temerarium: prudens est, quum sufficientibus rationibus et indiciis nititur: temerarium, quum nullis aut levibus nititur rationibus. Idem dicendum de dubitatione, et suspicione (35).

(*) Blasphemantes in Ecclesia, aut in publico incurrunt pœnam captivitatis, aut relegationis [*art. 101. p. 2.*].

(34) Hic agitur de judicio firmo: quod si adsit formido de opposito, dicitur opinio.

(35) Nota, quod majores requiruntur rationes in suspicione, quam in dubitatione, et majores in judicio, quam in suspicione: nam plus est suspicari, quam dubitare; et majus judicare, quam suspicari.

145. Judicare malum de proximo estne peccatum?

Si judicium est prudens, non est peccatum, secluso affectu odii, et externa detractione; quia judicatur secundum veritatem: si judicium est temerarium, est grave peccatum ex genere suo; nam per tale judicium læditur justitia, cum unusquisque habeat jus ad bonam sui existimationem (*t36*).

146. Suspicio vel dubitatio temeraria de proximi malo suntne grave peccatum?

Minime (quidquid aliqui dicant), quamvis sint in materia gravi; per eas enim parum læditur proximi existimatio (*u37*). Excipi potest, si quis suspicatur temere malum valde enorme et extraordinarium de persona honesta; quoniam ægrius ferunt homines hujusmodi suspiciones, quam certum de aliis ordinariis criminibus judicium.

CAPUT V.

DE MENDACIO, RESTRICTIONE MENTALI, ET AMPHIBOLIA.

147. Quid est Mendacium?

Est dictum vel factum contra mentem causa fallendi (*x*).

148. Quotuplex est mendacium?

Triplex, jocosum, officiosum, et damnosum: primum profertur ad delectandum; secundum ad utilitatem propriam, vel alterius; tertium ad damnum inferendum sive directe, sive indirecte (*y*).

149. Mendacium estne intrinsece malum?

Maxime, et nullo modo potest cohonestari; quoniam semper opponitur summæ veritati, nempe Deo (*z*).

(*t*) *Commun. cum. D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 3. in corp.*

(36) Quo judicium temerarium sit grave peccatum, requiritur, ut sit plene deliberatum, scilicet cum plena temeritatis advertentia.

(*u*) *D. Thomas loc. cit. et alii communiter.*

(37) Quisque absque peccato potest meliori modo, custodiendo, et aliquando etiam dubitando, cavere sibi ab aliquo, ut prospiciat rebus suis, et occasiones tollat; præcipue si sit superior.

(*x*) *D. August. lib. contra mendacium cap. 12.*

(*y*) *D. Bonaventura in 3. sentent. dist. 38. art. 1. quæst. 1. in corpore.*

(*z*) *Ex var. Scripturis, Patribus, et canon.* Adi D. August. loc. cit. cap. 26. et aliis.

150. Cujusnam gravitatis est mendacium?

Per se est leve peccatum; quia non affert gravem injuriam: at potest esse grave vel ratione damni, vel ex alia circumstantia.

*151. * Num falsum deponentes in aliquam incidunt pœnam?*

Deponentes falsum in quavis curia civitatis et diœcesis Neapolitanæ in causa sive criminali, sive civili, cum gravi damno alterius, incidunt in casum cum excomm. Ordinario reservatum: ex 6. casu in tabella. In eandem excomm. incidunt ad deponendum curantes, vel inducentes, aut quomodocumque utentes falsis testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis, tam publicis, quam privatis. Item falsificantes, etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falso, aut quæ falsum continent, conficientes apochas, syngraphas (vulgo *fedi di credito*, *o polize notate in fede*) sive instrumenta, processus, aut scripturas publicas, et authenticas, aut scienter his utentes; nec non mandantes, aut cooperantes: ex eod. casu. (*)

152. Quænam conditiones requiruntur ad hunc casum incurrendum?

Sequentes: 1. ut depositio fiat coram judice: 2. ut inferatur proximo grave damnum; quod esse debet quinquaginta aureorum in damno divitis, et decem in damno pauperis, sicuti aliqui docent: 3. ut adsit juramentum, si fiat per depositionem testium; testes enim non probant, nisi sint jurati (*a*).

153. Quinam alii incurrunt prædictam excommunicationem?

Omnes qui falsum aliquod impedimentum matrimonii dolose objecerint, necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes. Similiter præsentantes falsum, fictum aut fiduciarium patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro ordinibus suscipiendis, necnon constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Clerici vero hujusmodi patrimonium pro se præsentantes remanent quoque ab exercitio susceptorum ordinum suspensi: ad quam suspensionem relaxandam specialis requiritur facultas: ex eod. casu. *

(*) Ex cod. noviss. part. 2. art. 186. et seq. variis plectuntur pœnis calumniatores, deponentes falsum, aut ad deponendum curantes, et aliquoties etiam pœna capitis.

(*a*) *Ex cap.* Nuper *51. de test. et attestation.*

154. Quid est Restrictio mentalis?

Est locutio seu verbum duplicem habens sensum, unum naturalem, qui consurgit ex ipsis verbis, et alterum appositum a loquente.

155. Quid est Amphibolia?

Est sermo seu locutio ambigua, duplicem in se habens sensum.

156. Quotuplex est restrictio mentalis?

Duplex est, pure mentalis, et mixte mentalis: prima habetur, quando verba in se spectata cum suis circumstantiis aliud significant, quod loquens habet in mente; uti si quis dicat se vidisse Romam, intelligens intra se illam vidisse in pictura: secunda est, quoties verba aliquem significatum in se habent, et alium ex circumstantiis habere possunt; v.g. si Confessarius dicat aliquem esse innocentem, quem in confessione cognovit esse reum.

157. Quotuplici modo contingere potest amphibolia?

Triplici modo: 1. quando verba duplicem habent sensum æque communem; uti si quis dicat: *Hic liber est Petri*, potest æque intelligi, quod Petrus sit libri dominus, aut auctor: 2. Quando verba referunt duplicem sensum; unum magis, et alterum minus communem; veluti si quis dicat: *Petrus est bonus vir*, hæc propositio sensu communiori significat Petrum esse virum virtuosum, et sensu minus communi esse simplicem: 3. Quando verba unum sensum habent literalem, alterum mysticum; ut illa Christi verba de Baptista *Ipse est Elias*; et Baptista dixit *Ego non sum Elias*.

158. Licetne uti restrictione mentali, vel amphibolia?

Restrictione pure mentali non licet uti; quia est verum mendacium: restrictione mixte mentali, et amphibolia licet uti, stante justa causa, (dummodo non teneatur manifestare veritatem); licet enim aliquando veritatem occultare (*b*).

159. Quid si manifestando proprium delictum gravissimum damnum esset inde sibi venturum, potestne reus æquivocando suum delictum judici occultare?

Non idem sentiunt doctores: alii cum D. Thoma (*c*) dicunt teneri reum veritatem dicere etiam periculo mortis; quia

(*b*) *D. August. ibid. cap. 10. et alibi, D. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4. et alibi.*
(*c*) *2. 2, q. 69. a. 1. ad 2.*

quisque obligatur veritatem dicere judici legitime interroganti ob bonum publicum. Alii vero negant, cum adsit probabilis spes evadendi pœnam; nemo enim tanto dispendio tenetur prodere seipsum: sed hoc non est intelligendum de pœna spirituali, et medicinali; talis enim pœna vertitur in bonum ipsius delinquentis, et est per pœnitentiam reparabilis (38).

CAPUT VI.

DE SECRETI MANIFESTATIONE.

160. Quid est Secretum?

Est aliquid reticendi obligatio.

161. Quotuplex esse potest?

Triplex esse potest: aut naturale, quando nempe res aliqua suapte natura secretum fert: aut promissum, quando nempe promittitur: aut denique commissum et promissum, quando scilicet hoc pacto quis alteri aliquid revelat, et hic expresse vel tacite secretum promittit (39).

162. Revelare secretum estne grave peccatum?

Ex genere suo est grave contra justitiam, quando ex hujusmodi revelatione graviter læditur persona, de qua est secretum.

163. Quale peccatum est revelare secretum promissum, quando nullum adest proximi damnum?

Est peccatum grave vel leve, prout promittens intendit se obligare.

164. An sit grave peccatum revelare secretum commissum et promissum?

Maxime ex genere suo contra justitiam; habetur enim quasi contractus onerosus inter committentem et promittentem.

165. Ex quoto capite quis excusatur a peccato secretum manifestans?

Ex multiplici capite: scilicet ratione parvæ materiæ, aut

---

(38) Alia de hac re invenies in append. II. num. 55. not. (22).

(39) Etiam tacite committi potest secretum, ut medicis, obstetricibus, advocatis, Theologis consultis etc.

imperfectæ advertentiæ excusatur a peccato gravi: ratione justæ causæ, utputa ob bonum committentis, ob bonum commune, ob bonum innocentis, ex præsumto consensu illius de quo est secretum, si alia via sit cognitum, vel publicatum etc. excusatur ab omni peccato.

166. *An liceat revelare secretum vi tormentorum, aut metu gravis damni?*

Maxime, omissa adversa sententia; nemo enim tenetur cum gravi incommodo secretum celare. Excipitur tamen, si secreti revelatio in commune cedat damnum grave; tunc quocumque periculo, etiam mortis, est reticendum; quoniam bonum commune privato prævalere debet.

167. *Potestne quis licite secretum manifestare, cum sit a judice legitime interrogatus?*

Affirmative; quisque enim tenetur veritatem manifestare judici legitime interroganti. Et hoc est verum, quamvis secretum fuerit cum juramento promissum; quia promittens non poterat se ad rem illicitam obligare, nec est juramentum vinculum iniquitatis (40).

CAPUT VII.

DE DETRACTIONE, CONTUMELIA, ET CALUMNIA.

168. *Quid est Detractio?*

Est læsio injusta famæ alterius in ejus absentia.

169. *Quid est Contumelia?*

Est injusta læsio honoris alterius coram eo, sive dictis, sive factis.

170. *Quid est Calumnia?*

Est falsi criminis impositio cum aliqua accusatione conjuncta.

(40) Doctores excipiunt, quando secretum est commissum, et ex ejus manifestatione grave damnum committens sit passurus; nam valde est durum, ut quisque incommodum ferat ex fiducia, quam habuit cum alio. Sed hoc nunquam est intelligendum, si secreti revelatio necesse sit ad avertendum damnum commune.

171. *Quid est fama, quid honor?*

Fama est excellentiæ alterius existimatio. Honor est alienæ excellentiæ animo conceptæ testificatio (*d*).

172. *Differtne contumelia a detractione?*

Maxime: et ratione objecti, quia per primam læditur honor, per secundam fama; et ratione modi, quatenus prima veluti rapina fieri solet palam contra præsentem, secunda uti furtum fit in occulto contra absentem.

173. *Differtne detractio a susurratione, et irrisione?*

Affirmative; nam detractio tendit ad denigrandam famam; susurratio ad tollendam amicitiam, cum sit verbum inter amicos discordias seminans; et irrisio fit ad imponendum pudorem et verecundiam, cum sit verborum ludus de proximi defectibus, ut iste erubescat.

174. *Quotuplex est detractio?*

Multiplex est: et 1. alia dicitur diffamatio, et alia infamatio: prima est, per quam delictum occultum, sed verum manifestatur: secunda est, per quam delictum falsum alicui imputatur. 2. Alia est directa, et alia indirecta: directa est, quando directe de proximo dicitur aliquid mali: indirecta, quando occultatur bonum proximi.

175. *Quotuplici modo committi potest detractio directa?*

Quatuor modis, qui continentur in hoc versiculo: *Imponens, Augens, Manifestans, in mala Vertens. Imponens*, quando quis falsum crimen alteri imponit: *Augens*, quando amplificatur delictum verum: *Manifestans*, quando detegitur delictum occultum: *In mala vertens*, quando in malum quis interpretatur factum alterius.

176. *Quotuplici modo potest committi indirecte?*

Quadruplici etiam modo, uti in sequenti versiculo: *Qui negat, aut reticet, minuit, laudatque remisse. Qui negat*, quando quis negat recta facta alterius: *Reticet*, quando quis malitiose silet, ubi silentium æquivalet confessioni defectus proximi: *Minuit*, quando quis recta facta extenuat: *Laudatque remisse*, quando quis frigide proximum laudat.

(*d*) D. *Thom.* 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. *in corp.*

177. Num detractio et contumelia sint peccata gravia?

Maxime ex genere suo; per istas enim injuste læditur proximus in fama et honore, quæ sunt bona divitiis præstantiora, sicuti habetur ex Prov. 22. 1. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ* (e 41).

178. Suntne detractio, contumelia, irrisio, et susurratio peccata specie distincta?

Maxime ob læsionem ejusdem virtutis per modum diversum: uti patet ex num. 172. et 173.

179. Daturne casus, in quo manifestatio defectus venialis sit grave peccatum; et contra manifestatio gravis defectus sit veniale?

Affirmative; quum nempe per manifestationem levis defectus graviter læditur fama proximi; et contra per narrationem gravis delicti leviter hæc fama læditur (42).

180. Num peccet, qui se ab aliis audivisse narrat crimen alicujus, absque propria confirmatione, et proposito nocendi?

Minime, quando adsunt tales circumstantiæ, ob quas audientes non credunt illud enarratum delictum: aliter peccat.

181. Estne aliquando licita detractio?

Infamatio nunquam est licita; semper enim perniciosum continet mendacium. Diffamatio aliquando licet, stante justa causa (*f*).

182. Quænam sunt causæ, ob quas licet diffamatio?

Sunt sequentes: 1. ad petendum consilium vel auxilium a viro prudenti: 2. ob bonum commune: 3. ad avertendum damnum commune, vel innocentis: 4. ob bonum ipsius delinquentis.

(*e*) *S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2. in corp.*

(41) Notandum, quod infamatio sit diffamatione gravior utpote perniciosum continet mendacium: per eam expoliatur proximus non solum possessione, sed etiam dominio famæ; et per diffamationem expoliatur proximus tantum possessione famæ.

Quod dictum est de detractione, idem fere dicendum de susurratione, et irrisione.

(42) Gravitas hujus peccati non tam desumitur ex gravitate defectus revelati, sed præcipue ex gravitate læsionis in fama, vel in rebus.

Revelare naturales defectus proximi utrum sit mortale vel veniale, maxime pendet a circumstantiis personæ, modi etc. Dici potest esse grave vel leve, prout est famæ vel honoris læsio, aut damnum quod infertur.

(*f*) *D. Thom. loc. cit.*

183. Licetne detractio causa capiendi solatium?

Communiter affirmatur, si causa mitigandi doloris delictum manifestatur viro prudenti, qui illud non est alteri dicturus.

184. Licetne proximo detrahere in compensatione famæ ablatæ, vel ad suam justitiam aut innocentiam defendendam?

Si fiat per diffamationem, et ad ablatam famam recuperandam etc. cum desit alia via, licet; est enim ad avertendum malum proprium, vel proximi: si fiat per diffamationem ad vindictam, non licet; quia non est licitum malum pro malo reddere. Per infamationem autem nunquam licet; cum adsit perniciosum mendacium, quod semper est intrinsece malum: et oppositum est ab Innoc. XI. damnatum (* *g* *43*.)

185. Quotuplici modo delictum aliquod dici potest publicum?

Triplici modo: 1. publicitate juris, quæ habetur per sententiam judicis, vel per confessionem rei, vel per legitimam testium depositionem: 2. publicitate facti, quando nempe delictum fuit commissum in publico: 3. denique publicitate famæ, scilicet quando delictum jam est divulgatum.

186. Licetne delictum in uno loco publicum in alio loco detegere, ubi non est publicum?

Si est publicum delictum publicitate juris per sententiam judicis, licet illud detegere in omni loco, quo judicis extenditur jurisdictio; quia reus ad famam amisit dominium et possessionem (*44*): si vero est publicum per confessionem rei, vel testium depositionem, non licet; reus enim adhuc jus retinet ad famam. Si autem delictum publicum est publicitate facti vel fa-

---

(*) Propos. 43. quæ ajebat: *Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere*: et prop. 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

(*g*) *S. Thom. 2. 2. q. 69. a. 2. in corp. et alii.*

(*43*) Docent Doctores posse aliquem reum delictum occultum testis vel accusatoris revelare ad sui defensionem casu, quo crimen rei est occultum, et nequit plene probari; modo testis vel accusator sponte deponat: immo id aliqui admittunt, etiamsi testis vel accusator ad deponendum sit coactus.

(*44*) Sed aliquando potest peccari contra caritatem.

mæ, quæstio est: sed probabilius non licet, quia delinquens in hoc loco illæsam habet famam (45).

187. Diffamatus de uno crimine potestne de aliis criminibus diffamari?

Si alia crimina sunt cum illo conjuncta, de quo est diffamatus, potest, saltem sine peccato gravi; nulla enim ei infertur nova infamia: aliter non potest, e contraria ratione.

188. Quid est libellus famosus?

Est signum, vel scriptura ad alterius infamiam (*h*).

189. Quot conditiones requiruntur ad verum libellum famosum constituendum?

Sequentes: 1. ut occultetur nomen libellantis: 2. ut exprimatur in illo nomen libellati: 3. ut contineat delictum aliquod considerabile: 4. ut publicetur: 5. ut sit dolo factus (*i*).

190. Num incidat in aliquam pœnam, qui condit libellum famosum?

Si condit contra Pontificem, vel Cardinalem in excomm. incidit latæ sententiæ non reservatam: si vero condit contra statum Ordinum Minorum, vel Prædicatorum, aliorumve communicantium, in excommunicationem Papæ reservatam (*k**).

191. Peccatne, qui detractorem audit, aut movet?

Maxime; quia est causa moralis injustæ detractionis (*l*): et quidem peccat contra charitatem, si tantum audit; contra justitiam, si movet aut inducit.

192. Utrum peccet, qui detractorem non impedit?

Peccat contra caritatem; unusquisque enim ex lege caritatis tenetur damnum proximi impedire (*m*46): et etiam contra justitiam, si ex justitia impedire teneatur.

---

(45) Respectu tamen illorum criminum, quæ hominem reddunt perniciosum, et ab aliis vitandum, probabilius licet; publico enim bono conducit facinorosos non ignorari.

(*h*) *Ex l.* Si quis famosum *un. C. de famos. libell. et Can.* Si qui inventi 3. *caus. 5. q. 1.*

(*i*) *Ex cit. l. et aliunde.*

(*k*) *Ex bulla Pii V.* Romani Pontificis providentia, *et ex constit. Alex. IV.* Ex alto.

(*) Ex codic. noviss. part. 2. lib. 2. tit. 8. cap. 1. sect. 3. adest pœna captivitatis contra injurios, et libellantes.

(*l*) *D. Bern. lib. 2. de considerat. cap. 13. et de triplici custod. linguæ.*

(*m*) *D. Thom. 2. 2. q. 73. a. 4. in corp.*

(46) At præcisa complacentia, et diffamati damno, si quis privatus ex timore,

193. *An in aliquo casu peccatum non sit detractorem non impedire?*

Affirmative; et 1. quando impedire idem est ac magis detractorem excitare: 2. quando moraliter non est certum, quod detractor injuste loquatur: 3. quando prudenter judicatur monitio non esse profutura.

194. *Peccatne, qui scipsum diffamat?*

Ordinario peccat leviter ex prodigalitate; quisque enim est dominus suæ famæ. Dixi *ordinario*, quia peccat graviter, si hoc faciat ex jactantia, ex delectatione, si adsit scandalum, aut damnum grave sui, vel proximi.

195. *Estne peccatum detrahere defuncto?*

Maxime; quia defunctus etiam post mortem retinet jus ad famam: et eo minus potest ei detrahi, quia nequit famam acquirere, neque se defendere (47).

CAPUT VIII.

DE LUXURIA.

196. *Quid est Luxuria?*

Est inordinatus appetitus voluptatis venereæ contra rationem.

197. *Quotuplex est luxuria?*

Alia consummata, quæ consistit in voluntaria seminis effusione: alia non consummata, in qua non habetur seminis effusio, sed disponitur.

198. *Quot sunt species luxuriæ consummatæ?*

Sunt Fornicatio simplex, Stuprum, Adulterium, Concubinatus, Raptus, Incestus, Sacrilegium venereum, Mollities, Bestialitas, Sodomia, et Modus inordinatus concumbendi.

199. *Omnes hujusmodi species sunt ne peccata, et specie distincta?*

Sunt peccata gravia ex toto genere suo; quia actus vene-

---

vel negligentia, vel verecundia quadam omittat repellere detrahentem, plerumque peccat venialiter: ita communissime cum D. Thoma loc. cit. Et excusatur etiam a veniali, si discedit, vel sermonem divertit, vel faciem avertit, aut tristem ostendit; quia hujusmodi actiones sunt veræ correctiones.

(47) De onere restituendi honoris et famæ vide sis in tract.8.cap.10.n.166.167.et168.

rei sunt: et specie distinguuntur; diversimode enim opponuntur castitati, aliisque virtutibus: merito igitur ab Alex. VII. proscripta fuit prop. 24 (*n**).

SECTIO I.

DE FORNICATIONE, INCESTU, ET CONCUBINATU.

200. *Quid est Fornicatio?*

Est concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu habitus.

201. *Estne peccatum, et cujus malitiæ?*

Est peccatum grave contra castitatem, et intrinsece mala, utpote opposita bono prolis, et bono reipublicæ; patet etiam ex prop. 48. damnata ab Innoc. XI. (***48*).

202. *Quid est Incestus?*

Est concubitus cum persona sibi conjuncta, sive cognatione carnali, sive legali, sive spirituali, sive affinitate, intra gradus prohibitos ad matrimonium contrahendum (*49*).

203. *Quot peccata continet incestus?*

Duo, contra castitatem, et contra pietatem.

(*n*) *Ephes. 5. 3. et seq. Galat. 5. 19. et 21. Apocal. 21. 8. Clement.* Ad nostrum *3. de hæreticis.*

(*) Prop. damnata ajebat: *Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit in confessione dicere, se procurasse pollutionem.*

(**) Propositio erat: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

(*48*) Ex aliquorum veriori sententia in fornicatione plura sunt adnotanda peccata: 1. quia polluit fornicarius corpus suum: 2. quia polluit corpus alterius: 3. quia cooperatur, ut alter se polluat: 4. quia cooperatur, ut alter alium, nempe ipsum fornicarium polluat: 5. quia cooperatur cooperationi alterius; sed istud quintum peccatum non satis mihi arridet, quoniam nimis probat. Eadem peccata pariter numerantur in adulterio, incestu, sodomia etc. At sufficit in confessione fornicationem, adulterium etc. exprimere, ut intelligat Confessarius omnia hæc peccata in eo facinore contenta.

(*49*) Hic loquimur de incestu consummato: at omnis actus turpis tam externus, quam internus circa prædictas personas incestus habet malitiam, juxta probabiliorem sententiam.

204. *Omnes incestus suntne ejusdem speciei, et gravitatis?*

Juxta nonnullos sunt diversæ speciei, et gravitatis pro qualitate atque gradu conjunctionis. Aliqui vero docent omnes esse ejusdem speciei. Alii denique volunt in gradibus lineæ rectæ, et in primo gradu lineæ obliquæ consanguinitatis, atque in primo gradu in linea recta affinitatis ex copula licita adesse tantum speciei diversitatem (50).

205. *In quas pœnas incidunt incestuosi?*

Vir scienter incestum committens cum consanguineis uxoris intra secundum gradum privatur jure petendi, et sic uxor incestum habens cum consanguineis viri; ex jure communi (o): * tam affines, quam consanguinei intra secundum gradum incidunt in excommunicationem, quæ pro viris tantum est Ordinario reservata, uti ex casu 9. in tabella. *

206. *Quid est Concubinatus?*

Est detentio mulieris per modum uxoris.

207. *Quænam conditiones requiruntur ad concubinatum constituendum?*

Ad concubinatum de jure civili conditiones sunt: 1. ut concubina in domo concubinarii cohabitet, et alatur: 2. frequens concubitus: 3. ut sint ita soluti, ut possint, si velint, contrahere matrimonium: 4. ut ambo non habeant commercium cum alia persona (*). Conditiones ad concubinatum de jure canonico sunt: 1. pluralitas copularum, saltem quatuor, vel quinque: 2. facilis accessus: 3. animus perseverandi in tali statu: 4. ut mulier sit viri usui mancipata, nempe non habeat commercium cum alio.

208. *Filius familias, qui cum famula commercium habet animo perseverandi, quamdiu illa in domo manserit, diciturne concubinarius?*

Minime; quia non habet animum eam retinendi in perpetuum.

---

(50) Putarem semper exprimendum esse in confessione gradum et qualitatem conjunctionis; quia saltem eo gravius est peccatum, quo propinquior est gradus, et strictior conjunctio. Coitus cum mortua est potius pollutio, et fornicatio affectiva: et aliam desumere potest malitiam ex circumstantiis personæ.

(o) *Ex cap.* Siquis 1. *De eo, qui cognovit etc. et declarat. Greg. XIII.*

(*) De jure novissimo hujus regni duæ ultimæ conditiones non requiruntur ad concubinatum constituendum [art.328.p.2.]

209. *An dicuntur concubinarii, qui animum habent contrahendi postea matrimonium?*

Non sunt concubinarii de jure canonico; quoniam non habent animum perseverandi in eodem statu: possunt tamen esse concubinarii de jure civili.

210. *Quid si mulier sit uxorata, estne concubinatus verus?*

Maxime de jure canonico, dummodo mulier cum viro suo commercium non habeat; non enim requiritur, ut sint soluti.

211. *An Confessarius obligare debeat concubinarium ad concubinam rejiciendam, quamvis hæc sit illi valde utilis ad oblectamentum etc?*

Maxime: etenim non adest impotentia physica, neque moralis; et habetur ex prop. 41. damnata ab Alex. VII. (*)

212. *In quas pœnas incidunt concubinarii?*

De jure communi post tertiam monitionem incidunt in excommunic. ferendæ sententiæ: et si est Clericus post primam monitionem ipso facto privatur tertia parte fructuum beneficii, vel pensionis ecclesiasticæ; post secundam monitionem amittit omnes fructus beneficii, pensiones, et ipsam beneficii administrationem; post tertiam monitionem privatur ipso beneficio, officio etc. atque fit inhabilis ad alia obtinenda (*p***). * De jure nostro incidunt in casum reservatum absque excommunicatione: cas. 6. in tabella.

213. *An in aliquo casu possit simplex Confessarius absolvere a supradicta reservatione?*

Maxime, et in tribus casibus: 1. si concubinarius et concubina, facta reali separatione et tori et domus, per duos menses se continuerint: 2. si facti sunt physice vel moraliter impotentes ad reincidendum: 3. quando paulo post inter se contracturi sunt matrimonium: uti patet ex allato casu 6.

(*) *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo* regale, *dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.*

(*p*) *Trid. sess. 24. de reform. matrimonii cap. 8. et sess. 25. de reform. cap. 14.*

(**) Aliæ permultæ extant in jure contra concubinarios (præcipue Clericos) statutæ pœnæ, quas omnes confirmavit Trid. loc. cit.

De jure civili concubinarii captivitate plectuntur [*art.328.p.2.*]

214. Quid denotat illud paulo post?

Denotat tres dies cum dimidio * *(51)*.

SECTIO II.

DE STUPRO, ET ADULTERIO.

215. Quid est Stuprum?

Stuprum stricte sumptum est violenta virginis defloratio. Late sumptum est violatio mulieris (quamvis sit vidua, aut corrupta) per vim facta *(52)*.

216. Quot peccata continet stuprum?

Omne stuprum grave continet peccatum contra castitatem, et enorme contra justitiam; quia læditur per vim jus alterius *(53)*: continet etiam peccatum scandali; stuprator enim inducit ad peccandum.

217. Quibus pœnis afficitur stuprator?

Tenetur ipse ad omnia damna, uti dicetur in tractatu de restitutione: et si est clericus, tenetur virginem defloratam dotare, deponendus est, et detrudendus in monasterium ad pœnitentiam saltem per decennium agendam *(q*)*.

218. Quid est Adulterium?

Est violatio tori alieni: seu illicitus concubitus cum alterius conjuge *(r)*.

219. Quotuplex esse potest?

Simplex, vel duplex: simplex dicitur, quando solutus cognoscit uxoratam, vel e contrario: duplex, si uxoratus uxoratam cognoscit.

---

(51) De Sacrilegio venereo fuit sermo a num. 106 ad 111. inclusive: de Raptu in tract. de Matrim. dicetur.

(52) Per violentiam intelligitur non solum coactio physica, sed etiam moralis, utpute dolus, fraus, metus gravis, blanditiæ nimis allicientes etc.

(53) Stuprum stricte sumptum gravius est peccatum: et juxta nonnullos defloratio virginis semper est stuprum, quamvis sit facta consentiente puella vel ejus parentibus; quia dominium non habent talis deflorationis.

(q) *Ex variis can. dist. 81. et alibi.*

(*) Jure civili incidit stuprator in pœnam inclusionis [*art.333. et seq. p.2.*]

(r) *Can.* Nemo blandiatur *4. caus. 32. q. 4.*

220. *Quot peccata continet adulterium ?*

Præter peccatum luxuriæ, et scandali, continet etiam peccatum contra justitiam; quia jus violatur conjugis: et si duplex est adulterium, duo continet peccata contra justitiam; duorum enim conjugum violatur jus. Aliqui Theologi aliud quoque addunt peccatum, nimirum contra religionem ob injuriam sacramento et sanctitati matrimonii irrogatam.

221. *Liberaturne a malitia adulterii, quando conjux ad copulam consentit ?*

Minime; quamvis enim conjugi consentienti nulla fiat injuria, fit tamen injustitia contra matrimonium, cujus intrinsecæ justitiæ conjux renuntiare non potest. Contrarium fuit damnatum (*54).

SECTIO III.

DE MOLLITIE, BESTIALITATE, ET SODOMIA.

222. *Quid est Mollities, seu Pollutio ?*

Est seminis voluntaria effusio sine concubitu (55).

223. *Est ne vitiosa?*

Maxime, et mortaliter, sive sit directe, sive indirecte voluntaria; uti habetur ex Apost. 1. ad Corint. 6. 10. *Neque molles.... regnum Dei possidebunt.* Imo est intrinsece mala; quia directe opponitur generationi, et propagationi generis humani, pro quibus semen homini datum est: patet etiam ex prop. 49. ab Innoc. XI. proscripta (**).

(*) Ab Innoc. XI. in prop. 50. *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

(54) Ad quid teneantur adulteri dicetur in tractatu de Restitutione. Ex codic. noviss. part. 2. art. 326. et seq. adulterium committentes incidunt in pœnam captivitatis.

(55) Sive foras effundatur semen, uti in maribus; sive intus diffluat in matrice, uti in feminis.

(**) *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.*

224. *An et quomodo peccat, qui actionem ponit, ex qua præter intentionem sequitur pollutio?*

Si actio, ex qua pollutio sequitur, est graviter vitiosa in materia turpi, per omnes pollutio est mortale peccatum: si est levis in materia turpi, quæstio est, an pollutio sit leviter vel graviter mala. Si actio est graviter mala in alia materia, et per se fert ad pollutionem, sicuti ebrietas etc. et fere per omnes est peccatum mortale; si per se ad pollutionem non fert, est quæstio, an sit grave peccatum: si autem actio est leviter mala, juxta omnes est peccatum leve. Item sub levi est omittenda actio quamvis indifferens, cum nulla, vel levis adest causa eam ponendi; nulla enim stante rationabili causa tenetur quisque hujusmodi inordinationem in se impedire. Sed omne hoc intelligitur, dummodo non adsit delectatio, vel consensus ad pollutionem, aut periculum proximum; quia tunc omnis actio, etiam honesta, sub gravi est omittenda, utpote fit per accidens intrinsece mala (*56* ✠ *57*).

(*56*) Idem dicendum de pollutione in somno.

(✠) Ex superius dictis patet, quod si qua actio cohonestatur ex aliqua causa necessaria, vel utili, vel conveniente animæ aut corpori, pollutio ex ipsa proveniens, tametsi prævisa, non est peccatum, modo absit consensus, ejusque periculum. Hinc licet, etiam prævisa pollutione, 1. Parochis aliisque Confessariis audire mulierum confessiones, ac legere tractatus de rebus turpibus: 2. Chirurgis et medicis aspicere vel tangere partes feminæ ægrotantis, atque rebus medicis studere: 3. aliqua fricatione abigere pruritum in verendis, modo pruritus ex ardore libidinis non proveniat: 4. equitare causa salutis, utilitatis, recreationis honestæ etc. 5. decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum, modo situs non sit in se inhonestus: 6. cibos calidos aut potus moderate sumere; et alia id genus.

Non tenetur quisque, modo absit consensus et ejus periculum proximum, pollutionem cohibere in somno incœptam: tunc expedit se signo Crucis munire, et Jesum ac Mariam ferventer deprecari, ne ullum lapsum permittant.

(57) Juxta probabiliorem sententiam licet simplici affectu naturalem exonerationem naturæ optare, vel de illa gaudere ob finem honestum, puta causa tentationis minuendæ, sanitatis, tranquillitatis animi etc. Ex communiori et probabiliori sententia licet medicamenta sumere ad expellendum semen corruptum: dummodo 1. certo sit semen corruptum; 2. expulsio fieri possit absque sensu libidinis (quare nunquam licet tactu illud expellere); 3. ut desint alia remedia.

Distillatio est fluxus humoris quasi medii urinam inter et semen, similem habentis colorem et viscositatem. Distillatio voluntaria, sive directa, sive indirecta, si est cum notabili commotione spirituum, vel in magna quantitate, peccatum est, et vitanda

225. *Quid est Bestialitas?*

Est coitus cum bestia.

226.* *In quam pœnam incidunt hoc crimen committentes?*

In casum reservatum absque excommunicatione, sed mares tantum: uti ex secundo casu tabellæ. * (*58*).

227. *Quid est Sodomia?*

Sodomia alia est perfecta, alia imperfecta: prima est coitus cum eodem sexu, nempe maris cum mare, fœminæ cum fœmina: secunda est coitus cum diverso sexu, sed vel in vase indebito, vel modo indebito (*59*).

228. *In quas pœnas incidunt Sodomitæ?*

De jure communi excommunicandi sunt, si sint laici: Clerici autem in pœnam depositionis, et detrudendi sunt in strictum monasterium (*s*); et si sunt exercentes hoc crimen, incidunt in privationem omnis privilegii clericalis, officii, dignitatis, et beneficii; sed probabilius post sententiam judicis (*t*): * de jure nostro exercentes hoc crimen incidunt in casum reservatum absque excommunicatione; at soli mares, ut ex cit. casu secundo.

---

pari modo ac dictum est de pollutione. Si vero est in modica quantitate, et sine commotione ac delectatione, licet eam permittere: at mortale est illam, etiamsi levem, directe et data opera procurare.

(*58*) * Ad reservationem incurrendam unus sufficit actus; modo coitus sit perfectus.*

Ex probabiliori et communiori sententia non est in confessione explicandum utrum coitus fuerit cum bestia mare, aut femella, in vase naturali, aut præpostero; tota enim essentialis hujus facinoris deformitas sistit in accessu ad diversam speciem, et sexus est circumstantia omnino accidentalis.

Tactus impudici cum bestia, licet non sint propria peccata bestialitatis, habent tamen specialem turpitudinem, saltem venialem.

Ad peccatum bestialitatis reduci potest congressus cum Dæmone succubo vel incubo: cui accedit etiam crimen superstitionis. Si Dæmon apparet in forma personæ conjugatæ, aut religiosæ, aut consanguineæ etc. adest speciale peccatum adulterii, sacrilegii, incestus etc. affectivi, si concumbens de illa quoque delectetur circumstantia: alias quæstio est. Vide dicta num. 68.

(*59*) Quæ omnia sunt in confessione patefacienda; diversam enim continent malitiam. Sic etiam probabilius est in confessione exprimendum, an quis fuerit agens, vel patiens; quia agens se polluit.

Ex communiori sententia qui sodomitice uxorem cognoscit, adulterium committit in confessione explicandum, *ex can.* Nemo blandiatur *4. §. 2. caus. 32. q. 4.*

(*s*) *Cap.* Clerici *4. de excess. Prælat.*

(*t*) *Ex constit. Pii V.* Horrendum illud scelus.

229. *Quænam conditiones requiruntur ad hunc casum incurrendum?*

Coitus perfectus, sodomia perfecta, et exercitium.

230. *Soli agentes, an etiam patientes incidunt in hasce pœnas?*

Litigium est inter Theologos: at probabilius patientes etiam incidunt; quia veri sodomitæ sunt.

SECTIO IV.

NOTANTUR ALIQUA DE LUXURIA NON CONSUMMATA.

231. *Amplexus, tactus, oscula etc. in partibus non pudendis, puta in facie, fronte, manu etc. suntne permissa?*

Si fiunt juxta morem patriæ, sine ulla inordinata delectatione, sunt per se licita et honesta, etiam marem inter et fœminam; quia signa sunt amicitiæ, ac mutuæ benevolentiæ. Si autem fiunt ob delectationem carnalem et sensibilem, etiam sine progrediendi intentione, sunt gravia peccata; inducunt enim commotionem veneream, aut saltem ejus periculum proximum. Quare merito contrarium fuit proscriptum ab Alexandro VII. in prop. 40(*).

232. *Tactus deliberati pudendarum partium alterius personæ, sive ejusdem, sive diversi sexus, sunt ne vitiosi?*

Si fiunt ex rationabili causa, ut puta medicinæ etc. secluso consensu, ac ejus periculo proximo, non sunt vitiosi: aliter sunt mortaliter vitiosi; quia graviter opponuntur honestati, et per se commotionem veneream inducunt (60).

233. *Quid dicendum, si quis propria pudenda tangat?*

Si hoc facit ex rationabili causa, non est peccatum: si ex levitate animi, absque periculo, et scandalo, est leve peccatum: si autem adest delectatio venerea, aut ejus periculum proximum, aut scandalum; grave est peccatum.

(*) Hæc ajebat: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.*

(60) Idem sentio, si vir tangat pectus mulieris.

234. *An hujusmodi tactus permissi sunt inter conjuges?*

Maxime, licet aliqui contra sentiant, ad fovendum mutuum conjugalem amorem: dummodo non adsit periculum pollutionis, et non sint valde lascivi. At secundum nonnullos non carent culpa veniali, nisi sint ad copulam habendam.

235. *Aspectus suntne mali?*

Aspectus in personæ diversi sexus faciem, brachia, manus etc. sine delectatione ejusque periculo, sunt veniales; et ex justa causa ne veniales quidem erunt. Si sunt in pudenda diversi sexus sine gravissima causa, semper sunt graviter peccaminosi ob proximum periculum (61). Si fiunt in pudenda ejusdem sexus ex rationabili causa, absque delectatione, et periculo, sunt permissi: ex levitate, simplici curiositate, sine periculo, et scandalo, sunt leviter mali; quia leviter opponuntur honestati: si autem adest delectatio venerea, aut ejus periculum proximum, aut scandalum, sunt mortaliter vitiosi; graviter enim adversantur rectæ rationi.

236. *Verba turpia, quæ solent homines proferre, sunt ne peccata?*

Si hæc verba proferuntur ex prava complacentia, aut cum scandalo, sunt gravia peccata; quia honestati graviter opposita: si autem proferuntur ex sola ira, vel joco, sunt venialia (62✠).

---

(61) Idem est si quis aspiciat concubitum humanum: et idem dicerem de aspectu pectoris mulieris, saltem in praxi; quia hujusmodi aspectus summopere solet viros commovere: sic etiam est dicendum de aspectu turpium imaginum, habita proportione.

(62✠) Verba turpia proferre, scribere, vel audire ex veriori sententia erit malum, vel non, prout erit finis, quo proferuntur, vel audiuntur. Si hæc dicuntur vel audiuntur ob vanum solatium aut jocum, de se non est mortale, nisi adsit scandalum, vel periculum delectationis. Hac de causa erit mortale, si verba sint valde lasciva, aut proferantur coram adolescentibus, vel mulieribus juvenibus honestis. Ex eadem ratione mortaliter peccat, qui ex jactantia narrat peccata sua turpia. Plerumque est mortale audire comœdias turpes; nisi forte fiat ob simplicem curiositatem, vel vanum solatium, secluso periculo, et scandalo, quod difficillimum est in praxi. Ratione scandali graviter peccant Clerici, et Religiosi, qui comœdiis intersunt.

Quod dictum est de audientibus verba turpia, idem fere dici potest de legentibus similia.

Choreæ possunt esse licitæ, modo fiant a laicis, inter personas honestas, modo honesto, sine gesticulationibus inhonestis, sine scandalo, et periculo. At sunt Clericis interdictæ a Trid. sess. 22. de reform. cap. 1.

SECTIO V.

DE SOLLICITATIONE.

237. *Quid est Sollicitatio ?*

Sollicitatio, de qua hic agimus, est provocatio a Confessario pœnitenti facta ad turpia et inhonesta, sive fiat verbis, sive signis, sive factis.

238. *Quot peccata continet hæc sollicitatio ?*

1. Contra castitatem, 2. contra religionem ratione voti Sacerdotis, 3. contra religionem ob injuriam Sacramento illatam, 4. ratione scandali contra charitatem, 5. contra pietatem juxta nonnullos, si persona sollicitata sit filius vel filia spiritualis.

239. *Quænam sunt præcipuæ circumstantiæ, seu capita, in quibus potest hæc sollicitatio accidere ?*

Numerantur septem in constitution. Greg. XV. *Universi Dominici Gregis*, et Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ*, nempe 1. in actu Sacramentalis Confessionis, 2. immediate ante, 3. immediate post, 4. occasione confessionis, 5. prætextu confessionis, 6. in confessionali, etiam extra occasionem confessionis, 7. denique in alio loco ad audiendas confessiones destinato, vel electo, cum simulatione audiendi confessionem (*63*✻).

(*63*✻) Expenduntur dicta capita.

1. *In actu confessionis*. Sufficit ad hoc ut confessio sit incepta, etsi non perfecta. Juxta quosdam sufficit, si Confessarius in confessione det indicium suæ pravæ voluntatis; v. c. si mulieri imponat, ut eum expectet domi, vel eam interroget, ubi habitet etc. 2. *Immediate ante*. Communius sentiunt stricte esse hoc intelligendum, ita ut nullum intercedat intervallum. Non est denuntiandus Confessarius sollicitans immediate ante petitionem confessionis. 3. *Immediate post*. Communiter intelligitur, si confessionem inter et sollicitationem nulla alia intercesserit actio: uti esset, si Confessarius feminam turpiter tangat, dum ea post confessionem ad manum deosculandam accedit: si statim post confessionem pœnitentem ducat in aliquem locum, et sollicitet: sic etiam rectius dicendum, si statim post confessionem pœnitenti dicat *expecta me paulisper*; vel malitiose aliam actionem interponat. Aliqui non immerito dicunt non esse Confessarium denuntiandum, si sollicitet, postquam pœnitens recesserit ab ejus conspectu: sic etiam probabilius, si sollicitet post petitam confessionem; excipitur tamen, si illa petitione utitur uti medio ad sollicitandum, ut infra dicetur. 4. *Occasione confessionis*, quando nempe Confessarius de confessione rogatus uti-

240. *Quænam sunt pœnæ contra Confessarios sollicitantes?*

De jure communi pœna denuntiationis; et si sollicitatio fiat actu, vel occasione, vel prætextu confessionis, adest etiam pœna perpetuæ inhabilitatis ad Sacrificium Missæ, sed ferendæ sententiæ: * de jure nostro adest excommunicatio Ordinario reservata pro Confessariis Sæcularibus, pro Regularibus vero suspensio ipso facto ab audiendis confessionibus, uti ex 8. casu in tabella; sed in septimo capite sollicitationis non incurruntur istæ nostræ pœnæ. *

241. *Sacerdos non Confessarius in hisce capitibus sollicitans est ne denuntiandus?*

Maxime, uti exprimitur in cit. bull.

242. *Estne denuntiandus Sacerdos interpres confessionis alterius, istum sollicitans?*

Minime, omissa contraria sententia; quia non se habet uti Confessarium, sed potius uti pœnitentem.

243. *Quid si Clericus vel laicus sit, qui sollicitat?*

Non est denuntiandus, quidquid aliqui dicant; quia non exprimitur in bulla.

---

tur illa petitione uti medio ad sollicitandum: etiamsi (juxta probabiliorem sententiam) sit rogatus ad excipiendam confessionem alia die. Idem dicendum, si vocatus ad excipiendam confessionem infirmæ personæ, eam sollicitet, etiamsi ante confessionem. Sic etiam probabilius, si ex auditis in confessione impulsum sumat ad postea sollicitandum: quod præsumitur, si post audita peccata turpia, aut cognitam propensionem ad venerem, aut levitatem pœnitentis eam interroget, ubi habitet, si sit sola, et similia; et postea ejus domum adeat, et sollicitet, vel ad eam mittat epistolam, qua sollicitat etc. 5. *Prætextu confessionis*, cum nempe fingitur confessio ad sollicitandum: quæ quidem fictio habenda est ex parte Confessarii respectu ipsius personæ sollicitatæ: ut est si Confessarius ficte invitat ad confessionem personam aliquam, et sollicitat. Quæstio est, an sit denuntiandus, si convenit cum muliere; ut ad eludendos domesticos se fingat ægrotam, et ipsum vocet domum prætextu confessionis, sed revera ad peccandum. At non est denuntiandus, si prætextu confessionis a superiore suo petit licentiam exeundi, et vadit ad sollicitandum. Probabilius non est denuntiandus Confessarius, si pœnitens, nulla conventione præmissa, prætextu confessionis Confessarium vocet, et sollicitet. 6. *In confessionario, etiam extra confessionis occasionem.* In hoc sexto capite si sunt mares sollicitati, debent esse pœnitentes ex cit. bullis Greg. et Bened. Nonnulli, sed minus recte, etiam in hoc capite requirunt, ut sint *simulantes audire confessiones*, sicuti in sequenti capite. 7. *In alio loco etc.* Habetur simulatio, si Sacerdos ita se gerat, ut adstantes credant ipsum actu audire confessionem: quare non est denuntiandus, si sollicitet adstantem, sedentem etc.

244. *Estne denuntiandus Confessarius, qui in uno de istis capitibus dat chartam postea legendam, in qua ad venerem provocat?*

Maxime, sicuti habetur in bulla; nam chartæ traditio est vera sollicitatio: patet etiam ex prop. 6. ab Alexandro VII. proscripta (*).

245. *Estne denuntiandus Confessarius, qui masculum sollicitat?*

Affirmative; quia in bulla habetur, *quæcumque persona illa sit.*

246. *Estne denuntiandus Confessarius sollicitans puerum, puellam, aliamve personam, quæ præ simplicitate vel ignorantia sollicitationem non intelligit?*

Maxime; semper enim habetur vera sollicitatio ex parte Confessarii.

247. *Quid si pœnitens sollicitationi non assentitur?*

Etiam est denuntiandus Confessarius, sicuti exprimitur in bulla (64).

248. *Estne denuntiandus Confessarius sollicitans non pro se, sed pro alio?*

Affirmative; sicuti habetur in bulla: *etiamsi non pro se ipso, sed pro alia persona.*

249. *Estne denuntiandus Confessarius, qui mandat, rogat, suadet pœnitentem, ut inducat aliam personam ad turpiter agendum?*

Maxime; revera enim sollicitat.

250. *Utrum denuntiandus sit Confessarius, qui a pœnitente sollicitatus sollicitationi assentitur?*

Alii affirmant; quia consensus Confessarii est uti sollicitatio; seu potius, quia Confessarius impudicum habet tractatum, ut exprimitur in bulla: alii negant; nam revera in casu Confessarius non sollicitat, sed sollicitatur (65).

(*) *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.*

(64) Contra tenetur denuntiare, *etiamsi pœnitens consenserit*, sunt verba cit. bullæ *Sacramentum*. At *non tenetur suum consensum manifestare*; *nec potest super hoc ab Episcopo interrogari*, ut decrevit S. Inquis. die 27. Septembr. 1724.

(65) Probabilius potest in casu, at non tenetur pœnitens Confessarium denuntiare, ex cit. bulla Greg. Idem dicendum, si Confessarius sollicitatus ad copulam, renuit, et divertit ad solos tactus. Et potiori ratione si ex metu gravi sollicitationi consenserit. At est denun-

251. *An sit denuntiandus Confessarius ad actus venialiter malos sollicitans?*

Quinam asserunt esse denuntiandum; quoniam hujusmodi actus veniales transeunt ad mortales ob injuriam Sacramento illatam: at alii probabilius negant; nam si actus est in se levis, levis etiam est injuria Sacramento illata (66).

252. *Estne denuntiandus Confessarius sollicitans, quando est emendatus?*

Maxime (quidquid aliqui dicant); quia denuntiatio est ad vindictam potius quam ad emendationem (67).

253. *An sit denuntiandus, quando longum est a sollicitatione elapsum tempus?*

Affirmative, uti patet ex cit. Bened. constitut.

254. *Denuntiationi estne præmittenda correctio fraterna?*

Minime, veluti declaravit Alexander VIII. die 8. Julii 1660. et hæc thesis fuit proscripta a S. Inquisitione Romana die 27. Septembris 1628. quia denuntiatio est potius ad vindictam, quam ad emendationem.

255. *Quinam tenetur denuntiare Confessarium sollicitantem?*

Tenetur ipsa persona sollicitata; aut quicumque sollicitationem vidit, vel audivit, sive propriis auribus, sive immediate ex ore sollicitantis, aut sollicitati, modo sint fide digni. Etiamsi votum habeat, vel juramentum non revelandi; nam non valet votum et juramentum contra legem.

256. *Teneturne ad denuntiationem, qui sollicitationem scit sub secreto?*

Aliqui negant; quia lex naturalis servandi secretum prævalet legi positivæ: alii affirmant; quoniam agitur de damno commu-

---

tiandus, si sollicitatus ad tactus, divertit ad copulam: vel sollicitatus ad aliquem actum, sollicitat ad alium actum diversæ speciei, e. c. sollicitatus ad sodomiam, divertit ad fornicationem, vel contra. Sic omnino est denuntiandus, si sollicitatio est mutua, *ex cit. bulla* Sacramentum.

(66) Ex probabiliori et communissima sententia, atque praxi, etiam ipsius Inquisitionis, non est quoad hoc denuntiandus Confessarius sollicitans ad peccata non turpia. Eo minus sunt denuntiandi Sacerdotes sollicitantes, etiam ad turpia, in aliis Sacramentis.

(67) Probabilius est denuntiandus Sacerdos de sollicitatione jam ab alio denuntiatus, etiamsi sit punitus.

ni. At non tenetur, si sollicitatio manifestata sit causa consilii petendi.

257. *An teneatur, qui non potest sollicitationem probare?*

Maxime; denuntiatio enim non requirit probationem, uti accusatio.

258. *Quid si delictum sit dubium?*

Si certa est sollicitatio, et dubitatur utrum sollicitans sit iste vel alius, tunc superiori manifestandum est dubium, et ad superiorem spectat discernere personam. Si vero dubitatur de ipsa sollicitatione, ex veriori et communiori sententia non est Confessarius denunciandus; tum quia dubia in meliorem partem sunt accipienda; tum quia nemo est privandus certa famæ possessione ob causam incertam (68 ✠).

259. *Teneturne denuntiare, qui ipsi sollicitanti confitetur, et sollicitans in se suscipit onus denuntiationis?*

Maxime, et patet ex prop. 7. damnata ab Alexandro VII. (*)

260. *An quis teneatur denuntiare sollicitantem, si sit suus consanguineus?*

Litigium est inter Theologos.

---

(68) Excipe tamen, si adsint indicia vehementia de sollicitatione; aut si verba vel actus de se præseferant sollicitationem, et dubitetur tantum an intentione sollicitandi ea protulerit Confessarius.

(✠) Hinc probabilius est denunciandus Confessarius, si pœnitenti dicat: *Te nuberem, si non essem Sacerdos*: vel *Expecta me domi etc.* et postea domi tractet de turpibus: vel *Hæc tua peccata me fecerunt in pollutionem cadere*: vel *Nolo te audire in confessione, ne quid mihi contingat, quia amore tui captus sum*: vel *Totum me commovere sentio ex affectu erga te*: vel *Si quis pecuniam tibi daret, peccares?* et postea mulierem affirmantem non reprehendat; aut si reprehendat, postea domi oblata pecunia sollicitet: et alia. Potius ex modo aliisque circumstantiis est dignoscendum, utrum adsit sollicitatio in sequentibus casibus: 1.° Si Confessarius mulierem de pulchritudine laudat; vel cum persona confitente laudat pulchritudinem alterius personæ, confitentem rogans, ut illi hoc referat. 2.° Si det mulieri donum insolitum et magni valoris etc. 3.° Si dicat mulieri: *Memento mei, quia ex corde te diligo*: aut *Cur etiam mecum non es humana*: aut *Veniam in domum, et promitte mihi facere quod voluero*: aut *Veniam in domum tuam, et amorem meum tibi ostendam*: aut mulieri turpe desiderium confitenti dicat: *De hoc agemus post confessionem*: et similia.

(*) Verba propositionis erant: *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest absolvere absque onere denuntiandi.*

261. *Estne absolvendus, qui non vult denuntiare Confessarium sollicitantem?*

Minime, uti habetur ex bulla Benedicti; quia est indispositus: dummodo non excusetur ob rationabilem causam.

262. *Quænam est causa ab onere denuntiationis excusans?*

Impotentia physica vel moralis. At qui non potest per se, tenetur per epistolam, vel per alium denuntiationem adimplere, ex veriori sententia (69).

263. *In quam pœnam incidit, qui sollicitantem non vult denuntiare?*

In excommunicationem Papæ reservatam, si intra mensem a die scientiæ denuntiationem non facit (*u*). At si postea adimpleatur denuntiatio, excommunicatio non est amplius reservata; sicuti probabiliter docent multi cum B. Ligorio.

264. *Confessarius non monens pœnitentem de onere denuntiationis, inciditne in aliquam pœnam?*

Peccat graviter, et est monendus, uti ex cit. bulla. Quod si consulto et malitiose deonerat pœnitentem a tali obligatione, est denuntiandus tanquam suspectus de hæresi, ex constitutione Greg. XV. (70)

265. *In quam pœnam incidit, qui falso accusat Confessarium innocentem de crimine sollicitationis?*

Incidit in casum Papæ reservatum absque excommunicatione, sive hoc faciat per seipsum, sive quovis modo procuret, ut hoc fiat ab aliis, ex cit. Bulla Bened. XIV. Iste casus est specialissimæ mentionis.

---

(69) Non expedit, ut Confessarius in se assumat onus denunciandi vice pœnitentis: eo minus ad hoc tenetur, quidquid aliqui somnient. Excipitur tamen, si publicum immineret damnum, nec alia pateret via ad illud vitandum; tunc posset Confessarius ex charitate obligari ad hoc onus suscipiendum.

Si ob nimiam verecundiam nullo potest modo flecti persona sollicitata ad denuntiationem faciendam, ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, *ex decr. universal. Inquisit. jussu Urbani VIII. edito 27. Septemb. 1624.*

(*u*) *Ex pluribus decretis Sacræ Inquisitionis, et præsertim ex decr. edito die 10. Mart. 1677.*

(70) Diligentissime attendat Confessarius, antequam pœnitenti imponat onus denunciandi, qualitates et conditiones tum sollicitantis, tum sollicitati; mature examinet naturam et significatum prætensæ sollicitationis; alios consulat expertiores Confessarios etc. ne forte quis innocens denuntietur.

266. *Cuinam facienda est denuntiatio ?*

Inquisitoribus, si adest Inquisitionis tribunal : aliter Ordinario vel loci delicti, vel loci delinquentis, vel loci denuntiantis, sicuti eruitur ex cit. constit. Greg.

267. *Episcopi, Legati, Nuntii sollicitantes sunt ne denuntiandi, et cuinam ?*

Probabilius sunt denuntiandi : sed Papæ, si commode fieri potest; aliter Inquisitoribus.

268. * *Confessarius extra allata capita denuntiationis inhoneste agens cum persona sibi confitente, inciditne in aliquam pœnam?*

In nostra diœcesi incidit in casum reservatum absque excommunicatione ; uti in 3. casu tabellæ.

269. *Quid requiritur ad hunc casum incurrendum ?*

Requiritur 1. ut sollicitans sit Confessarius, vel Curatus : 2. ut persona sollicitata sit ei frequenter confessa; ita ex cit. casu.

270. *Simplex Sacerdos, qui pluries excipit alicujus confessiones in articulo mortis, si hunc sollicitat, inciditne in casum ?*

Incidit, dummodo persona sollicitata sit ei frequenter confessa, et eam sollicitet durante articulo mortis, quoniam eo tempore simplex Sacerdos est verus Confessarius. *

SECTIO VI.

DE ABSOLUTIONE COMPLICIS IN RE TURPI.

271. *Estne valida hujusmodi Absolutio ?*

Minime, uti habetur ex cit. bulla Bened. XIV.

272. *Absolventes complicem in re turpi in quam pœnam incidunt ?*

De jure communi incidunt in excommunicationem Papæ reservatam, ex dicta constit. Bened. XIV. * De jure nostro Confessarii Sæculares incidunt in excommunicationem Ordinario reservatam : et tam Sæculares, quam Regulares incidunt etiam in suspensionem ab audiendis confessionibus Ordinario specialiter reservatam, uti ex casu 8. in tabella. *

273. *An possit absolvi complex in articulo mortis ?*

Maxime, quando non adest alius Confessarius, aut simplex

Sacerdos; vel quando adesset gravis infamia aut scandalum non absolvendo, ex cit. Bulla Bened. et ex alia ejusdem Pontificis *Apostolici muneris*.

274. *Quid si extra allatos necessitatis casus absolvatur complex in articulo mortis?*

Absolutio est valida, ne moribundi periclitetur salus æterna: sed absolvens incidit in pœnas, ex cit. bulla *Apostolici muneris*.

275. *Potestne absolvi complex vi Jubilæi, vel bullæ Cruciatæ?*

Minime, uti in cit. bulla *Sacramentum*.

276. *Quid si peccatum fuit commissum quo tempore Confessarius erat laicus?*

Ne potest quidem complex absolvi; quoniam semper habetur absolutio complicis.

277. *Potestne absolvi complex in peccato alteri Confessario rite confesso, et remisso.*

Maxime; bulla enim loquitur de peccato, quod sit materia necessaria absolutionis, non vero voluntaria (71).

CAPUT IX.

DE FURTO, ET RAPINA.

278. *Quid est Furtum?*

Est occulta injusta ablatio, vel retentio rei alienæ, invito rationabiliter domino, vel possessore (*).

279. *Quid est Rapina?*

Est furtum palam vi factum (72).

280. *Quotuplex est furtum?*

Multiplex: et 1. dividitur in simplex, et qualificatum: pri-

(71) Sic etiam potest absolvi si peccatum sit leve, aut internum tantum: et juxta aliquos si sit dubium.

Probabile est ex cap. *Liceat* posse Episcopum a prædicta excomm. absolvere, si delictum est occultum.

(*) Meliori modo definitur in l. 1. §. ult. D. de furtis *Contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve: quod lege naturali prohibitum est admittere.*

(72) Vi physica, aut morali.

mum est, in quo una tantum continetur malitia contra justitiam: secundum est, in quo præter injustitiam alia continetur malitia; uti est furtum sacrilegum (*). 2. Dividitur in manifestum, et non manifestum: manifestum dicitur, quando fur una cum re furtiva deprehenditur: non manifestum, quando fur ita non deprehenditur.

281. An furtum et rapina sint peccata gravia?

Maxime ex genere suo contra justitiam; uti patet ex innumeris Scripturæ locis, et præcipue ex VII. præcepto *Non furtum facies.*

282. Furtum estne a rapina specie distinctum?

Affirmative per diversum modum tendendi; rapina enim præter damnum in re, injuriam affert immediate in personam, ac dehonorationem: quare in rapina dupliciter peccatur contra justitiam (*x*).

283. Danturne casus, in quibus quis surripiendo aliquid leve graviter peccat?

Utique: et 1. quando quis auferendo aliquid leve, grave proximo infert damnum: 2. quando quis pravo suo exemplo alios inducit ad furandum cum gravi damno proximi: 3. quando affert tristitiam, vel molestiam magnam domino rei: 4. quando isto parvo furto inducit ad grave peccatum: 5. denique quando animum habet perveniendi ad materiam gravem (73).

284. Qui plura committit furtula, peccat graviter a principio, an cum pervenit ad materiam gravem?

Si a principio voluntatem habet perveniendi ad gravem ma-

(*) Quatuor præcipue numerantur in jure veteri species furti qualificati; scilicet *Peculatus*, qui est furtum pecuniæ publicæ: *Plagium*, quo homo liber, vel servus alienus in servitutem adducitur, venditur, donatur etc. *Abigeatus*, quando quis furatur oves, equos, et alia hujusmodi animalia: et *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ etc. prout dictum est a n. 113. ad 119. inclusive.

Notandum solum sacrilegium, et juxta nonnullos etiam plagium esse furta specie distincta: alia sunt tantum distincta nomine in lege. At in lege præsenti alia est denominatio et distinctio furti qualificati; uti ex Cod. novis. part. 2. art. 407. et sequent.

(*x*) *S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 4. et 9. in corp. utrobiq.*

(73) In primo casu tenetur sub levi ad rem furatam, sub gravi ad damnum illatum: in secundo casu sub gravi ad rem, si adsit probabilis spes, ut alii suo exemplo restituant; aliter sub levi ad rem, et sub gravi ad damnum, si suo exemplo fuerit causa moralis furti aliorum: in tertio casu tenetur sub gravi ad rem, si adhuc dominus sit tristitia aut molestia affectus: in quarto et quinto casu tenetur sub levi.

teriam, a principio peccat graviter ex prava animi dispositione: aliter quando pervenerit, et adverterit ad materiam gravem.

285. *Peccat graviter an leviter, qui post completam gravem materiam iterum furtulum committit?*

Secundum aliquos peccat graviter; quia habet animum augendi magis, et retinendi materiam gravem: secundum alios peccat leviter; quoniam, completa materia gravi, incipitur a capite.

286. *An plura furtula moraliter uniantur, quando magnum intercedit temporis spatium inter unum et alterum?*

Minime; quia non efformant unum morale, nec dominus est censendus tanto rationabiliter invitus (74).

287. *Quænam quantitas requiritur ad furtum mortale?*

Definienda est judicio prudentum ex circumstantiis personæ, loci, temporis etc. Aliqui doctores tenent materiam esse gravem eam quantitatem, quæ sufficit ad sustentationem in die personæ illi, cui res est ablata, juxta suam conditionem: Layman docet triginta ad summum carolenos esse gravem materiam respectu omnium, etiam personæ ditissimæ (✻).

288. *Licetne surripere alienum in necessitate?*

In extrema necessitate licet tantum surripere, quantum sufficit ad se a tali necessitate liberandum; omnia enim sunt communia (*y*75✻✻): in gravi vero non licet, et a fortiore in com-

(74) Quantum debeat esse hoc tempus, lis est: aliqui putant annum: B. Ligorius duos menses.

(✻) Inter tot Theologorum discrepantium opiniones poterit Confessarius sua prudentia hanc regulam servare in taxanda furti gravitate, communiter loquendo. Pro mendicantibus unus carolenus (seu julius): pro fossoribus et similibus operantibus duo: pro artificibus duo cum dimidio: respectu mediocriter divitum quatuor circiter: respectu absolute divitum, et mercatorum valde opulentorum quinque in sex: pro ditissimis aureus: pro communitate opulenta aureus, vel aureus cum dimidio: respectu principum duo aurei.

Major requiritur quantitas ad gravem constituendam materiam in pluribus furtulis, quam in uno furto: ac præcipue si plura furtula sint in damnum diversorum. Item major quantitas requiritur pro conjunctis sanguine, amicitia etc. quam pro extraneis.

(*y*) *Ex cap.* Exiit 3. *verbo* Nec quidquam *de verb. signific. in 6. S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 7. in corp.*

(75✻✻) Idem fere dicendum, si necessitas tam est gravissima, ut extremæ sit proxima, aut illi æquivalens. Hujusmodi esset, si quis inveniretur in probabili periculo incurrendi mortem, aut membrum aliquod principale amittendi, aut esset in

muni; quia non sunt omnia communia, et oppositum est damnatum (*z 76).

289. *Potestne quis surripere alienum ad succurendum proximo indigenti?*

Quando non habet de proprio, et proximus reperitur in extrema necessitate potest; quia in casu habetur uti instrumentum indigentis: aliter non potest.

290. *Peccatne graviter uxor surripiendo aliquid notabile de bonis viri, vel de bonis, quorum ipsa non habet plenum dominium?*

Maxime, et tenetur ad restitutionem, quando vir est rationabiliter invitus. Idem dicendum de viro quoad bona uxoris etc.

291. *Danturne casus, in quibus uxor non peccat?*

Dantur sequentes: 1. quando surripit ad victum et vestitum juxta sui statum: 2. ad donationes remuneratorias faciendas; quoniam habentur tanquam debiti solutiones: 3. ad moderatas eleemosynas: 4. ad subveniendum parentibus, propinquis etc. in istis enim maritus est irrationabiliter invitus. Idem fere potest vir de bonis uxoris (77).

292. *Utrum graviter peccet filius surripiendo aliquid notabile de bonis patris vel matris?*

Maxime; pater enim vel mater sunt rationabiliter inviti (**). Idem dicendum, si pater aut mater surripiant aliquid de bonis filiorum, quamvis filii præsentes sint, et taceant ob metum reverentialem.

---

proximo periculo incidendi in captivitatem perpetuam, vel pœnam triremium, vel infamiam, vel gravissimum aut perpetuum morbum; sicut etiam ex probabiliori ratione si quis tantum haberet mendicandi pudorem, ut mortem potius vellet subire, quam mendicare. Sed hac in necessitate potest pauper sibi providere per media ordinaria tantum; non vero per extraordinaria, uti docent Theologi.

(*z) Ab Innoc. XI. prop. 36. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi, cap.* Si quis 3. *de furtis, D. Thom. loc. cit.*

(76) Juxta aliquos potest pauper in gravi necessitate aliquid leve aliquando surripere a divite; judicatur enim divitem ex pietate non esse invitum, saltem quoad substantiam.

(77) Sic etiam ex communi sententia potest uxor libere disponere de iis, quæ sibi reservavit de bonis a viro assignatis pro vestitu, aut sustentatione familiæ ad certum tempus, dummodo honeste familiam jam sustentarit.

(**) Habetur ex Prov. 28. 24. *Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

293. *Danturne casus, in quibus filius non peccat?*

Maxime, et fere casus n. 291. Idem dicito de patre et matre respectu filii etc.

294. *An peccent famuli surripientes aliquid de esculentis et poculentis domini?*

Si surripiant de esculentis et poculentis ordinariis, in moderata quantitate, ut ipsi consumant, juxta plurimos non peccant; putantur enim domini inviti non quoad acceptionem, sed potius quoad licentiam non petitam (78). Si autem surripiant ad vendendum, donandum, ludendum etc. et quidem peccant; quia domini sunt rationabiliter inviti. (79)

CAPUT X.

DE HOMICIDIO, ET MUTILATIONE.

295. Q*Uid est Homicidium?*

Est injusta hominis occisio (*a*).

296. *Quid est Mutilatio?*

Est abscissio alicujus membri, quod in corpore habet specialem functionem.

297. *Quotuplex est homicidium?*

Multiplex: et 1. dividitur in simplex, et qualificatum: primum est quod malitiam continet tantum contra justitiam: alterum est, quod præter injustitiam, aliam continet malitiam; uti parricidium, fratricidium etc. 2. Dividitur in voluntarium, casuale, et necessarium: voluntarium est illud, quod a voluntate procedit sive directe sive indirecte: casuale est illud quod præter agentis intentionem accidit: necessarium dicitur, ad quod

(78) Cum prudentia tamen est hoc permittendum.

(79) * Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocumque vitiant, nimirum, vel eas diminuendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo, incidunt in excomm. Ordinario reservatam; ex casu xv. in tabella.* Qui vero falsas monetas regis Franciæ præsumtuose moliuntur, aut fabricant, aut emunt, vel ad prædictum regnum portant, excommunicationem incurrunt Papæ reservatam, *Extravag Ioann. XXII.* Prodiens *un. de crimine falsi.*

(*a*) *Ex l.* Ita vulneratus *52. D. ad leg. Aquiliam, can.* Si homicidium *41. caus. 23. q 5.*

committendum aliqua necessitate quis adstringitur; uti esset ratione officii, justæ defensionis etc. Casuale duplex est, pure casuale, et mixte casuale: primum est, quod omnino est præter agentis intentionem: secundum est, ad quod agens aliquo modo indirecte concurrit, non adhibendo majorem diligentiam; quare cum homicidio indirecte voluntario confunditur (*80*✠).

298. *Quo jure est prohibitum homicidium?*

Omni jure: jure naturæ, quia *Nemo lædendus;* jure positivo divino ex 5. præcepto *Non occides*; jure humano ecclesiastico, et civili, uti ex innumeris pœnis contra homicidas statutis (*81*).

299. *Licetne occidere seipsum?*

Directe nunquam licet; nemo enim suæ vitæ est dominus (*b*). Indirecte ordinario ne licet quidem ex eadem ratione. Dixi *ordinario*, nam stante justa causa potest quis sui mortem permittere (*c* ✠✠).

(*80*✠) Dupliciter evenire potest homicidium casuale, vel dando operam rei illicitæ, vel rei licitæ. In primo casu si opus erat periculosum, imputatur homicidium: alias non imputatur. Hinc homicidii sunt rei, qui calce percutiunt mulierem prægnantem, vel terrefaciunt, ex quo abortus evenit; parentes infantem suffocantes, quem tenent in lecto, cum dormiunt; mandantes mandatum periculosum etc. Contra reus non est homicidii Clericus, qui tempore interdicti campanam pulsaret, et casu tintinnabulum cadens aliquem opprimeret; fornicator, adulter etc. si postea femina moriatur in partu; adulter occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ virum mulieris vitæ suæ aggressorem, si hujusmodi aggressionem non poterat prævidere etc. In secundo casu si agens ex necessitate vel utilitate post adhibitam diligentiam, et præter intentionem homicidii actionem ponit, homicidium ei non imputatur; quia utitur jure suo: aliter, relicta opinione contraria, homicidium imputatur; proximus enim jus habet, ne sine justa causa mors ei inferatur.

(*81*) Quod dicitur de homicidio, debita proportione dicendum est de mutilatione.

(*b*) *Can.* Si non licet *9. caus. 23. q. 5.* (*c*) *S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 5.*

(✠✠) Hinc non tenetur quisque remediis extraordinariis et nimis duris, v. g. abscissione cruris etc. uti ad vitam servandam. Miles tenetur in statione manere etiam cum periculo mortis ob bonum commune. Potest quis peste affectis inservire. Potest invasus occisionem suam permittere, ne invasor vita temporali et æterna privetur: modo non sit ipse invasus in peccato mortali. Potest quis ad incendium vitandum se per fenestram ejicere, præsertim si qua sit spes mortem evadendi: idem probabilius permittitur reo in carcere detento ad certam evadendam mortis sententiam. Juxta aliquos potest femina se conjicere in periculum mortis (sed non in certam mortem) ad servandam castitatem ab invasore: et quæstio est, utrum teneatur femina permittere se occidi, quam violari. Licet reo non fugere, immo etiam judici sponte se sistere plectendum, scalam patibuli ascendere, collum gladio adaptare etc. Licet vigi-

300. Potestne quis occidere aggressorem injustum suæ vitæ?

Potest habitis conditionibus cum moderamine inculpatæ tutelæ, omissa aliquorum improbabili, ne dicam falsam, sententia; nam vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt (*d82*).

301. Quænam sunt istæ conditiones?

Sequentes, sicuti colligitur ex variis locis juris: 1. ut sit injustus aggressor (*): 2. ut fiat in actu aggressionis; quare non licet occidere illum, qui percussit, et jam fugit (*83*): 3. ut nulla alia via possit vita propria servari (**): 4. ut fiat absque odio, et animo vindictæ: 5. ut tanta vis adhibeatur, quanta opus est ad vitæ conservationem (***): 6. juxta aliquos ut aggressor non sit persona reipublicæ necessaria, vel valde utilis.

302. Potestne quis occidere injustum aggressorem vitæ alterius?

Maxime, ex eadem ratione superius allata, et iisdem conditionibus etc. (*e84*)

---

liis, inedia, aliisque pœnitentiis carnem moderate affligere; non vero vitam iis notabiliter minui. Probabilius non tenetur virgo subire manus medici vel chirurgi, cum id magis quam mortem ipsam horret. Licet se mutilare ad vitam servandam. Probabilius non licet filios etiam consentientes castrare causa cantus.

Scipsos deliberate occidentes privantur ecclesiastica sepultura, *can. 12. caus. 23. q. 5.*

(*d*) *Can.* Jus naturale 7. *dist.* 1. *cap.* Significasti 18. *de homicid.* et Si vero 3. *de sent. excomm. l.* Ut vim 3. *D. de justit. et jur. D. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. *in corp. etc.*

(*82*) Sic quoque potest, omissa aliquorum sententia, si ipse dederit injustæ aggressionis causam; non enim amisit jus defensionis. Sicuti etiam probabilius potest quis se defendere ab injusto aggressore cum periculo innocentis; ut puta aliquem conterendo, ut fugiat ab hoste etc. dummodo omnem pro viribus adhibeat diligentiam ad innocentis mortem vitandam; nam iste directe intendit suam defensionem; per accidens permittit innocentis mortem.

(*) Quare non licet reo occidere ministros justitiæ, a quibus ad carcerem vel supplicium trahitur.

(*83*) Secundum aliquos licet prævenire aggressionem certam et inevitabilem. At in praxi vix licet hanc sequi sententiam ob periculum hallucinationis.

(**) Quapropter non licet occidere, si invasus fugiendo, se occultando, aliove modo potest se salvare.

(***) Si fuste, vel solo vulnere, aut brachii amputatione, vel aliter invasus potest injustam vim arcere, non licet occidere.

(*e*) *Ex Exodi* 2. 11. *ac variis utriusq. jur. loc.*

(*84*) Immo tenetur, si ex justitia obligatur ad innocentis vitam defendendam; uti sunt principes, magistratus, milites etc. Qui vero ex justitia non obligatur, probabilius non tenetur.

303. Licetne occidere aggressorem bonorum fortunæ?

Si hujusmodi bona sunt extreme necessaria ad vitam, et licet; talis enim est aggressor ipsius vitæ. Si hujusmodi bona ita non sunt necessaria, sed sunt magni momenti, quæstio est: aliqui negant; nulla enim adest proportio inter vitam, et bona fortunæ: alii vero affirmant; quia præceptum charitatis obligat præferre bona proximi altioris ordinis, quando proximus est in necessitate, non quando est in perversa voluntate: sed hoc intelligitur cum non adest via rem recuperandi (*85*). Si denique ista bona sunt parvi momenti, non licet juxta omnes, et oppositum est ab Innoc. XI. damnatum (*86*).

304. An liceat defensione occisiva defendere ea, ad quæ jus inchoatum habemus, aut quæ nos possessuros speramus?

Minime; et patet ex dictis, et quia possumus ea per publicos magistratus obtinere; in contrarium habentur duæ prop. ab Innoc. XI. proscriptæ (**).

305. Num sit licitum occidere aliquem causa defendendi honorem, et famam?

Minime; tum quia vita est superioris ordinis, tum quia tali modo non recuperatur fama, aut honor: in contrarium adsunt tres propositiones damnatæ (***).

306. Licetne occidere invasorem pudicitiæ?

Probabilius licet; pudicitia enim est summæ existimationis

(*85*) Quænam quantitas requiritur, ut dicatur res magni momenti, taxanda est potius ex circumstantiis personæ. Aliqui laudabiliter dicunt illam esse rem magni momenti, qua ablata alicui deficeret sustentatio pro se et suis.

(*) Prop. 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

(*86*) Quod dictum est de invasore dici quoque potest de injusto rei detentore.

(**) Prima num. 32. erat: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.* Altera n. 33. *Licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: et jus habenti in cathedram, et præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.*

(***) Prima ab Innoc. XI. num. 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter ignominia vitari nequit etc.* Duæ aliæ similes sunt proscriptæ ab Alex. VII. num. 16. et 17.

bonum, et adest periculum proximum spiritualis ruinæ, nempe consensus aut delectationis in actu turpi (87).

307. Potestne maritus suam uxorem occidere in adulterio deprehensam?

Minime; quia maritus non est judex uxoris, nec talem habet potestatem: patet etiam ex prop. 19. ab Alex. VII. proscripta (*). Iste tamen non incidit in pœnas a jure statutas, si occidit in instanti delicti; Ecclesia enim parcit tanto furori (*f* 88).

308. Licetne aliquando occidere innocentem?

Directe et per se nunquam licet, ne publica quidem auctoritate; *Insontem et justum non occides* clamat Dominus Exod. 23. 7. potestas enim publica solos societati noxios potest interimere. Indirecte vero et per accidens aliquando licet, si necessitas urgeat, et hoc postulet bonum commune.

309. An homicidæ et mutilatores incidant in aliquas pœnas?

Præter pœnam, quam exposuimus n. 127. et sequent. homicidæ et mutilatores incidunt in irregularitatem; * et omnes conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem, aut eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodocunque propinantes, sive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu, incidunt in casum Ordinario reservatum cum excommunicatione, ex 12. casu in tabella. * (**89).

---

(87) Idem dicendum de invasore pudicitiæ alterius.

Mulieri licet, immo est consulendum, si ab altero violenter tangitur, non solum in actu, sed etiam immediate post, eum percutere alapis, pugnis, fuste, et etiam ictibus non periculosis; ut suam ostendat constantiam atque displicentiam, et ut alter resipiscat, aliaque vice eam non sollicitet: dummodo id non fiat ad vindictam.

(*) Propositio ajebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

(*f*) *Argum. desumt. ex cap.* Si vero *3. de sent. excomm.*

(88) Idem dicendum de patre quoad filiam, de fratre quoad sororem etc.

(**) Lege civili adest pœna capitis, aliæque pœnæ [*art.352.et sequent.p.2.*]

(89) Mandantes vel facientes Christianum per assassinos occidi, vel eos recipientes, defendentes, aut occultantes excommunicationem et depositionem ab omni dignitate, beneficio, et officio ipso facto incurrunt, tametsi non sequatur mors, *cap.* Pro humani *1. de homicidio in 6.* In prædictas pœnas probabilius non incidunt ipsi assassini. Assassinus dicitur homo ad alios occidendos conductitius.

CAPUT XI.

DE ABORTU.

310. *Quid est Abortus?*

Est immatura fœtus expulsio.

311. *Ubi animatur fœtus?*

In utero matris; patet ex Luc. 1. ubi de Joanne Baptista dicitur: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ... exultavit Infans in utero ejus:* patet etiam ab experientia, et ex prop. 35. ab Innoc. XI. damnata (*).

312. *Quodnam tempus requiritur ad fœtus animationem?*

Ex recentioribus DD. pauci dies: sed Theologi communiter docent ex praxi S. Pœnitentiariæ ad incurrendas pœnas assignari quadraginta dies circiter a conceptione masculi, et octoginta circiter a conceptione fœminæ.

313. *Licetne procurare abortum ad conservandam vitam matris?*

Directe nunquam licet, sive fœtus sit animatus, sive inanimatus, omissa contraria sententia; cum sit intrinsece malum homicidium committere, aut humanam propagationem impedire. Indirecte (90) autem, si fœtus est inanimatus, licet; quoniam in pari necessitate melius est vitam matris conservare, quam vitam futuram fœtus non impedire. Si vero fœtus est animatus, distinguitur: si cum matre probabiliter moriatur etiam fœtus, licet; quia minus est unum, quam duo mala: si vero spes probabilis adsit, quod fœtus non moriatur cum matre, et recepturus sit baptismum, tunc non licet; vita enim spiritualis fœtus pretiosior est vita matris temporali.

(*) *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eandem habere cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

(90) Indirecte dicitur, quando aliquid medicinæ accipit mater ægrotans morbo lethali, quod fœtui est noxium. Quod si morbus matris non sit lethalis, ne indirecte quidem licet abortum procurare, quamvis fœtus sit inanimatus. At si fœtus inanimatus sit corruptus, licet illum etiam directe expellere; quia non amplius est fœtus, sed massa putrida, animationis incapax.

314. *An sit licitum procurare abortum fœtus inanimati, ne puella gravida deprehensa occidatur, vel infametur?*

Minime; nam 1. non sunt facienda mala, ut eveniant bona: 2. non desunt modi ad consulendum puellæ: 3. ista mulier sibi imputet, quod per crimen suum in eas devenerit angustias: contrarium fuit damnatum (*).

315. *Quænam sunt pœnæ contra procurantes abortum?*

Irregularitas ratione homicidii, si fœtus sit animatus, et effectus secutus: excommunic. Ordinario reservata (g91), dummodo fœtus sit animatus., effectus secutus, et scienter hoc fiat; * et si fiat per pharmacum, quod est fœtui venenosum, adest alia excomm. Ordinario reservata ex 12. casu in tabella, etiam effectu non secuto, dummodo fœtus sit animatus. * In omnes prædictas pœnas incidunt etiam abortum cooperantes. Immo etiam approbantes et ratum habentes ante factum, modo nomine suo procuretur abortus, *ex cit. bullis* (**).

316. *An ipsa mulier prægnans procurando abortum etc. incidat in pœnas?*

Probabilius incidit; habetur enim in ipsa, quod requiritur ad pœnas incurrendas.

317. *Requiriturne specialis facultas ad absolvendum ab excommunicatione bullæ Gregorii?*

Non convenit inter Theologos: alii affirmant; quoniam in bulla Greg. habetur, Confessarios specialiter deputatos posse ab hac excomm. absolvere: alii vero communius et probabilius negant; quia illud *specialiter* intelligitur de facultate necessaria ad absolvendum a reservatis.

(*) Ab Innoc. XI. prop. 34. quæ ajebat: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

(g) *Ex bulla Greg. XIV.* Sedes Apostolica, *quæ moderavit bullam* Effrænatam *Xysti V.*

(g1) Ex dicta bulla Xysti Clerici præter excommunicationem incidunt in privationem omnium officiorum, beneficiorum, et dignitatum ecclesiasticarum, et fiunt inhabiles ad illa; privilegium clericale amittunt, et curiæ sæculari sunt tradendi: quoad hæc bulla Xysti non fuit moderata a Gregorio.

Probabilius non contrahitur irregularitas, si dubium adest utrum fœtus sit animatus.

(**) Jure civili adest pœna relegationis, vel inclusionis contra procurantes abortum [*art. 395. et sequent. p. 2.*]

CAPUT XII.

DE DUELLO.

318. *Quid est Duellum, seu Monomachia?*

Est pugna singularis ex condicto accepta privata auctoritate, cum periculo occisionis, vel gravis vulnerationis, statuto tempore, et loco.

319. *Quotuplex est duellum?*

Duplex, solemne, et privatum: solemne est illud, quod fit servata quadam solemnitate, scilicet adhibitis testibus, patrinis, litteris provocatoriis, affixis chartulis, nuntiis etc. privatum, quod fit absque solemnitate.

320. *Estne duellum licitum?*

Minime, cum sit peccatum grave, et intrinsece malum: nam inest proximum periculum tam corporis, quam animæ, uti habetur ex Trid. (h*)

321. *Estne licitum duellum ad vitandam timiditatis notam, ad terminandam litem, ad innocentiam aut veritatem comprobandam etc?*

Minime, cum sit intrinsece malum; et in contrarium plures adsunt damnatæ propositiones (92**).

(h*) *Sess. 25. de reform. cap. 19.* Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur.

Constat etiam ex innumeris locis juris canon. et l. *Cruenta* un. C. de gladiatoribus.

(92) Sic non est licitum duellum fictum suscipere ab aliquam caussam.

(**) Propositiones proscriptæ sunt 2. ab Alexand. VII. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: et Benedictus XIV. in constitut. *Detestabilem* hasce quinque prop. damnavit:

I. *Vir militaris, qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio suo, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa vacaret, et pœna, sive offerat, sive acceptet duellum.*

II. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.*

322. Quænam sunt pœnæ ratione duelli statutæ ?

Pœnæ contra duellum habentur ex Trid. sess. 25. de reform. cap. 19. ex constitution. Julii II. *Regis Pacifici*, Leon. X. *Quam Deo et hominibus*, Clement. VII. *Consuevit*, Pii IV. *Ea quæ*, Greg. XIII. *Ad tollendum*, Clement. VIII. *Illius vices*, et Bened. XIV. *Detestabilem*. At omnes ad istas reducuntur: 1. Committentes duellum incidunt ipso facto in excomm. Papæ reservatam, infamiam, proscriptionem bonorum, et si moriantur, etiamsi extra locum conflictus, ex vulnere ibidem accepto, privantur sepultura ecclesiastica ante judicis sententiam, quamvis dederint signa pœnitentiæ. 2. In eandem excommunicationem incidunt omnes imperatores, reges, duces etc. domini temporales, qui locum ad duellum in terris suis inter Christianos concesserint. 3. In eandem excomm. incidunt provocantes tantummodo, et acceptantes duellum, etiam duello non secuto, accedentes ad locum duelli pugnaturi, etsi duellum non sequatur. Item patrini, et socii duellantium, spectatores ex condicto et industria, consulentes, mandantes, procurantes duellum, etiam duello non secuto: at isti omnes non incidunt in excomm. si per eos steterit, quod duellum non sit secutum. 4. In eandem excommun. incidunt facientes, typis mandantes, publicantes, affigentes, intimantes libellos provocatorios aut manifesta; et omnes quomodocunque cooperantes, etiam non secuto duello. 5. Clerici duellum committentes, vel ad illud cooperantes, præter dictas pœnas, incidunt in privationem omnium dignitatum, beneficiorum, officiorum, et inhabilitatem ad illa, et ad alia, ex constit. Pii IV. et incidunt in pœnam depositionis, ex cap. *Porro* 1. de Cleric. pugnant. 6. Denique civitates, oppida, aut cetera loca, in quibus sequitur duellum, eorum dominis, magistratu etc. permittentibus, incidunt ipso facto in interdictum Pontifici reservatum.

323. Quænam conditiones requiruntur ad hasce pœnas incurrendas?

Sequentes: 1. ut pugna sit singularis: 2. ut fiat auctoritate

---

IV. *Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

V. *Asserta licentia pro statu naturæ applicari potest etiam statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.*

privata : 3. ut fiat ex condicto, statuto tempore, et loco: 4. ut adsit periculum mortis, vel gravis vulnerationis.

324. Quisnam potest a supradicta excommunicatione absolvere?

Si delictum est publicum, vel ad forum contentiosum deductum, potest absolvere Summus Pontifex: aliter Ordinarius ex cap. *Liceat* Trid.

CAPUT XIII.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

325. Quot sunt Peccata Capitalia?

Sunt septem, Superbia nempe, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, et Accedia (*i*).

326. Quare dicuntur capitalia?

Quia sunt veluti capita, radices, et causæ aliorum peccatorum (*k*).

SECTIO I.

DE SUPERBIA.

327. Quid est Superbia?

Est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ (*l*).

328. Quotuplex est?

Duplex, perfecta, et imperfecta. Prima est, cum quis bonum suum non a Deo, sed a semetipso obtinuisse existimat; vel credit obtinuisse a Deo, sed ratione suorum meritorum; vel cum in propria excellentia obtinenda aut conservanda suum ponit ultimum finem; vel denique cum non vult Dei præceptis, suorumve superiorum ordinationibus subjici, hujusmodi subjectionem indignam reputans excellentiæ suæ. Altera est, cum quis se habere jactat, quod non habet; vel, ceteris despectis, singularis vult videri, aut honorari, laudari etc.

(*i*) *D. Greg. lib. 31. moral. cap. 17. circ. fin. aliique.*
(*k*) *Idem ibid.* (*l*) *D. Thom. 2. 2. q. 162. a. 2. in corp.*

329. *Quale peccatum est superbia?*

Superbia perfecta grave peccatum est ex genere suo, charitati Dei, vel proximi oppositum: imperfecta vero est leve peccatum, leviter charitati adversum; est tamen grave, si cum gravi proximi despectu conjungitur: ita communiter.

330. *Quot sunt superbiæ filiæ?*

Præcipuæ sunt tres, Præsumtio, Ambitio, et Vanagloria.

331. *Quid Præsumtio?*

Præsumtio, prout hic accipitur, est inordinatus appetitus aliquid aggrediendi supra vires proprias.

332. *Quale peccatum est præsumtio?*

Leve est communiter loquendo; at est mortale, si gravem Deo injuriam, aut sibi præsumtuoso, vel proximo grave damnum inferat, vel inferre possit: ita communiter.

333. *Quid est Ambitio?*

Est inordinatus appetitus dominandi, vel super alios se extollendi per dignitatem, honorem, potentiam etc.

334. *Quale peccatum est?*

Per se est leve: at fit gravis ratione rei, scilicet si dignitas ipsa, honor etc. sit graviter illicitus; vel ratione medii graviter illiciti; vel ratione injuriæ, aut damni, quod infertur; vel ratione affectus, uti si quis malit mortaliter peccare, quam dignate etc. carere: sic communiter.

335. *Quid est Vanagloria?*

Cupiditas inanis gloriæ, cujus finis est manifestatio inordinata propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ et præsumtæ (*m*).

336. *Quodnam peccatum est?*

Per se est leve; fit mortale per accidens, prout dictum est de ambitione (*n*).

337. *Quænam sunt vanægloriæ filiæ?*

Ex D. Thoma (*o*) sunt septem sequentes. 1. Inobedientia, cum quis non vult exequi, quod debet. 2. Jactantia, cum scili-

---

(*m*) *D. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. in corp.* (*n*) *Idem ibid. et alii.*

(*o*) *2. 2. q. 105. a. 1. ad 2. et q. 132. a. 5. per tot. et q. 138. a. 2. ad 1. et 2. dist. 42. q. 2. a. 3. in corp.*

cet quis propriam excellentiam verbis prædicat, vel de peccato gloriatur. 3. Hypocrisis, cum quis simulat virtutem vel sanctitatem, quam non habet, vel majorem ea, quam habet. 4. Contentio, cum quis indebita verborum altercatione veritati opponitur. 5. Discordia, quæ habetur, cum quis alienæ voluntati in bono adversatur. 6. Pertinacia, qua quis propriæ sententiæ nimis tenaciter adhæret. 7. Inventio novitatum, cum quis vanæ gloriæ studio nova excogitat.

338. *Sunt gravia, an levia vitia prædicta?*

Inobedientia est culpa gravis vel levis prout est materia: et est semper gravis, si adsit contemtus formalis. Jactantia de re bona est per se levis: at est gravis, si est de re graviter mala, vel cum gravi injuria, aut damno, aut scandalo, aut contemtu etc. Hypocrisis gravis est, si contineat virtutis contemtum, gravem injuriam, grave damnum, aut finem graviter illicitum: alias venialis est. Contentio et discordia sunt graves vel leves pro materiæ qualitate. Pertinacia est mortalis, si oppugnatur magni momenti veritas sufficienter cognita; puta in fide, moribus, vel sit conjuncta cum periculo damni gravis etc. Inventio, et inventionis usus est mortalis, si sit de re graviter illicita, vel cum gravi scandalo, periculo etc.

339. *Quænam sunt superbiæ remedia?*

Præcipua sunt sedula meditatio suorum peccatorum, miseriæ, infirmitatis etc. meditatio brevitatis præsentis vitæ: considerare pœnas superbis, et præmia humilibus a Deo proposita: relatio omnium ad Deum, a quo bona cuncta procedunt: oratio, qua vera petatur humilitas: meditatio humilitatis Christi, B. Virginis, et Sanctorum: conversatio cum humilibus etc.

SECTIO II.

DE AVARITIA, ET IRA.

340. QUid est *Avaritia?*

Est inordinatus divitiarum appetitus, erogationisque illarum tenacitas; ita communiter cum D. Thoma.

341. Quale peccatum est?

Si opponitur justitiæ, vel charitati Dei aut proximi, est grave ex genere suo. Si vero opponitur tantum liberalitati, est leve ex se (*p*).

342. Quid Prodigalitas?

Est vitium voluntatem inclinans ad dandum ultra mensuram ratione præscriptam: ita communiter.

343. Quale peccatum est?

In se est leve; quisque enim dominus est suarum rerum: potest fieri grave ex circumstantiis; puta si sit causa damni gravis, scandali, ut non solvantur debita, non præstentur alimenta etc. aut ratione finis etc.

344. Quænam sunt avaritiæ filiæ?

Præcipuæ septem: Duritia cordis, Inquietudo mentis, Violentia in rapiendo, retinendo aliena etc. Perjurium, Fallacia, Fraus, et Proditio (*q* 93).

345. Quid est Ira?

Est inordinata vindictæ vel quasi vindictæ cupiditas; ita communiter (94).

346. Quotuplici ratione potest esse inordinata?

Triplici ratione; vel ex parte objecti, si sit injusta; vel ex parte modi, cum quis nimium excandescit, aut nimis exterius per signa patefacit iram; vel denique ex parte finis, cum quis vindictam licet justam appetit, non ex zelo justitiæ, sed affectu privato satisfaciendi animo suo malevolo (*r*).

347. Quodnam peccatum est ira?

Ira inordinata ex parte objecti peccatum est ex genere suo mortale, charitati vel justitiæ contrarium; et habetur ex Matth. 5. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Idem dicendum de ira inordinata ex parte finis. Ira inordinata ex parte modi, per se est leve; quia per motus excessum non intenditur nocere, neque proximo nocetur (*s*).

(*p*) *D. Thom. 2. 2. q. 118. a. 4. in corp. et alii.*

(*q*) *D. Thom. ibid. a. 8. D. Greg. lib. 31. moral. cap. 17. aliique.*

(93) De Luxuria jam dictum est in cap. VIII. hujus partis, et alibi.

(94) Dicitur *inordinata*; quoniam si est ordinata, non est vitium, sed virtus, quæ vocari potest zelus, et aliquando obligans.

(*r*) *S. Thom. 2. 2. q. 158. a. 3. in corp. aliique.* (*s*) *Idem ibid. et alii.*

348. *Quænam sunt iræ filiæ?*

Sequentes (*t*): 1.° *Indignatio*, quæ est animus aversus seu inordinatus in proximum: 2.° *Tumor mentis*, quo quis vindictæ vias excogitans, hujusmodi cogitationibus animum tumefacit et inflat: 3.° *Clamor*, cum nempe iratus vocem extollit, multa inordinate effundens: 4.° *Contumelia*, de qua egimus num. 169. 172. 177. et 178. 5.° *Rixa*, idest pugna, seditio etc. ex quibus eveniunt vulnera, cædes etc. 6.° Blasphemia, de qua vide caput III. istius secundæ partis: 7.° Maledictio, de qua dicetur in VII tract. num. 146. et sequent.

349. *Sunt gravia, an levia peccata expositæ species?*

Indignatio levis est culpa, nisi crescat ad deliberatum odium, vel gravem personæ contemtum; et aliquando nulla est culpa, si sit ex justa causa: Tumor mentis est gravis vel levis, prout est excogitata vindicta: Clamor levis est: Rixa levis est, si modum non excedat; secus si progrediatur ad graves læsiones, verbera, vulnera, seditiones, convicia etc. De contumelia, blasphemia, et maledictione vide in loc. cit.

SECTIO III.

DE GULA.

350. QUid est Gula?

Inordinatus appetitus, vel usus cibi, et potus.

351. *Quibus modis potest gulæ peccatum committi?*

Quinque modis isto versiculo comprehensis.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose (*u*): idest si quis 1. edit ante tempus indigentiæ; 2. si nimia solicitudine delicatos et pretiosiores cibos vel vina quærit; 3. si nimiam et immoderatam quantitatem absorbet; 4. si nimia aviditate cibum vel potum sumit; 5. si nimis accuratam exquisitamque exquirit ciborum præparationem.

(*t*) *S. Greg. lib. 31. moral. cap. 17. et alii.*

(*u*) *S. Greg. lib. 30. moral. cap. 13. S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 4. et alii.*

352. Quodnam peccatum est gula?

Ex genere suo est veniale; quia levem continet deordinationem contra rectam rationem (x). Grave tamen esse potest peccatum ratione enormis excessus, vel animæ corporisve nocumenti, vel scandali, vel ultimi finis, vel gravis damni etc. (95)

353. Licetne comedere vel bibere ob solam voluptatem?

Minime, et est peccatum saltem veniale; uti constat ex prop. 8. ab Innoc. XI. proscripta (*96): voluptas enim potest esse allectatio, non vero finis deliberatæ actionis.

354. Quid est Ebrietas?

Est vini, liquoris, aliusve rei voluntaria sumtio usque ad violentam usus rationis privationem.

355. Quale peccatum est?

Ebrietas perfecta et voluntaria est mortale peccatum: quod patet ex variis Scripturæ locis, et præsertim ex 1. Corinth. 6. 10. *Neque ebriosi . . . . regnum Dei possidebunt:* et quia graviter opponitur rectæ rationi sibi adimere rationis usum (97).

356. Estne licita ebrietas ex præscripto medici ad sanitatem procurandam?

In hac quæstione valde laborant DD. Aliqui affirmant; tum quia talis potatio non est immoderata, cum non sit saluti noxia, immo sit necessaria; tum quia licet aliquo tempore rationis usu carere ad servandum totum hominem. Aliqui negant; quia voluntaria rationis privatio semper est intrinsece mala. Alii vero dicunt non esse licitam, si directe adhibeatur potatio ad priva-

---

(x) *S. August. serm. 41. de Sanctis, tom. 10. S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 2. in corp. aliique communiter.*

(95) Non desunt asserentes veniale esse comedere vel bibere usque ad vomitum, nisi adsit scandalum, vel grave nocumentum salutis. At vix a mortali excusabitur (quidquid aliqui dicant) qui sponte evomit quod sumsit, ut iterum edat, aut bibat.

(*) *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

(96) Nota. Aliud est comedere vel bibere ob solam delectationem, aliud cum delectatione: primum est illicitum, non secundum.

(97) Dixi *perfecta* etc. nam si non est perfecta, cum nempe non amittitur totaliter usus rationis, non peccatur mortaliter, *D. Thom. 2. 2. q. 150. a. 2. in corp. D. Antonin. p. 2. tit. 6. c. 3. §. 1. et alii.*

tionem rationis causandam; hoc enim est intrisece malum (98): licitam vero, si potatio directe adhibeatur ad expellendos sive corrigendos pravos humores; tunc enim per accidens evenit rationis privatio.

357. Licetne se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minatur, nisi inebrietur?

Probabilius non licet; nam directe se rationis usu privare est intrinsece malum (99).

358. Quænam sunt filiæ gulæ, et quænam peccata sunt?

Quinque præcipuæ numerantur a DD. (γ): Hebetudo mentis; Lætitia inepta; Multiloquium; Scurrilitas, quæ in verbis et gestibus ineptis consistit; et Immunditia, idest inordinata missio superfluitatum, puta per vomitum, pollutionem etc. Hæc omnia ex genere suo sunt venialia, si sint in materia indifferenti: excepta pollutione, de qua vide dicta num. 222. et sequent. Possunt tamen fieri mortalia ratione materiæ, scandali, damni etc.

SECTIO IV.

DE INVIDIA, ET ACEDIA.

359. Quid est Invidia?

Est inordinata tristitia de bono proximi, quatenus est propriæ gloriæ vel excellentiæ diminutivum (100).

---

(98) Hinc nunquam est licitum se inebriare ad sensus sopiendos ne cruciatus sentiatur.

(99) Hucusque dicta fere omnia intelligantur de illis quoque, qui alios inebriant vel ad ebrietatem inducunt.

Nota. In definitione dictum est *ad violentam usus rationis privationem:* licet enim aliquid sumere ad somnum conciliandum; somnus enim naturalis est, non violenta rationis privatio.

(γ) *S. Greg. lib. 31. moral. c. 17. S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 6. in corp. S. Antonin. p. 3. tit. 6. cap. 4.*

(100) Differt ab æmulatione: æmulatio enim est, qua quis de bono alterius tristatur, non quia bonum proximi, sed quia ipse caret simili bono. Hæc vitiosa non est, si sit de bono licito, et proportionato: immo aliquando bona et laudabilis, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. 31. *Æmulamini charismata meliora.*

Differt etiam a timore, qui est affectio, qua quis tristatur de bono alicujus, quatenus ex illo timet aliquid mali sibi, vel aliis. Hic licitus est, si sit justus et prudens: *S. Greg. lib. 22. moral. cap. 6. S. Thom. 2. 2. q. 36. a. 2. et alii.*

360. Quodnam peccatum est?

Grave ex genere suo, charitati contrarium, qua tenemur de bono proximi gaudere (z).

361. Quænam sunt invidiæ filiæ?

Præcipuæ sunt Odium, Susurratio, Detractio, Exultatio in adversis proximi, et Afflictio in ejus prosperis (a 101).

362. Quid est Acedia?

Acedía, seu Desidia triplici modo sumi potest: 1.° pro quodam corporis torpore, et virium naturalium hebetudine ad laborem suscipiendum: 2.° pro passione appetitus sensitivi operis laborem et difficultatem refugientis: 3.° pro quodam fastidio rerum spiritualium, seu tædio bene operandi. Acedia tertio modo explicata aut generaliter, aut specialiter sumi potest: generaliter et late sumta consistit in omni fastidio, tædio, et torpore animi bona spiritualia negligentis: specialiter et stricte sumta est tristitia de bono divino et spirituali nobis imperato ad salutem obtinendam; quare est quædam tristitia de divina amicitia et gloria, quatenus pro hac conservanda atque consequenda dura et laboriosa sunt practicanda, et delectabilia terrena sunt fugienda (b).

363. Acedia estne peccatum, et quale?

Acedia primo et secundo sensu accepta, secundum se non est peccatum; cum sit affectio quasi naturalis corporis vel animi. Tertio sensu, generaliter et late sumta est vitium illi virtuti oppositum, de cujus bono et exercitio tristamur; et est grave, vel leve, prout ad illud præceptum, quod transgredimur, tenemur: at si præceptum implemus cum aliqua displicentia, tunc erit veniale. Tertio sensu specialiter et stricte sumta, si sit plene deliberata et perfecta, est peccatum mortale charitati Dei et nobismetipsis debitæ oppositum; quia sic vilipenditur Dei amicitia, et gloria æterna (c).

(z) *D. Thom. 2. 2. q. 36. a. 3. in corp.*

(a) *D. Greg. cit. lib. 31. moral. cap. 17.*

(101) De istis omnibus actum est in aliis tractatibus.

(b) *D. Thom. 2. 2. q. 35. a. 2. et 3. utrobiq. in corp.* (c) *Idem ibid.*

364. *Recense Acediæ filias.*

Sunt *Malitia*, idest odium bonorum spiritualium: *Rancor* seu indignatio contra eos, qui ad spiritualia hortantur et inducunt: *Pussillanimitas*, seu animi dejectio, qua quis formidat aggredi bona: *Desperatio*, de qua dicetur in tract. VI. num. 80. et 82. *Torpor circa præcepta*, idest quædam voluntatis gravedo et impatientia servandi præcepta: et *Evagatio mentis* (*d*).

365. *Qualia peccata sunt species recensitæ?*

Malitia ex se est peccatum grave: *Rancor* est veniale, nisi conjungatur cum gravi odio: *Pussillanimitas* et *Torpor* sunt venialia, nisi concurrat aliqua gravis transgressio: *Evagatio mentis* est etiam veniale, nisi notabiliter omittatur attentio ex præcepto debita (*e*).

De nonnullis aliis specialibus peccatis et vitiis in reliquis tractatibus, prout se dabit occasio, disseremus.

(*d*) D. Greg. loc. cit. (*e*) S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 4. ad 2. et alii.

TRACTATUS V.

DE POENIS CANONICIS.

Pia Mater Ecclesia ad suos filios a noxiis revocandos potestate, qua a Sponso Christo donatur, varias intentavit pœnas. Jure igitur ac merito de istis, etsi remisse, tractamus, cum jam de peccatis egerimus.

1. Quot sunt Pœnæ Canonicæ?

Permultæ in jure numerantur: præcipuæ sunt Depositio, Degradatio, Infamia, Excommunicatio, Suspensio, Interdictum, et Irregularitas.

2. *An omnes istæ pœnæ sint censuræ?*

Minime, sed tantum tres, excommunicatio nempe, suspensio, et interdictum, sicuti constat ex pluribus juris locis (a 1).

3. *Quid est Depositio?*

Est pœna ecclesiastica, per quam persona ecclesiastica ob enorme crimen in perpetuum privatur ordine (idest ordinis exercitio), jurisdictione, et beneficio, retento privilegio fori et canonis.

4. *Quid est Degradatio?*

Est pœna ecclesiastica, qua Clericus ab omni officio ac beneficio ecclesiastico depositus, insuper exuitur per solemnem sententiam et actum clericalibus privilegiis, sine restitutionis spe (2).

(a) *Ex cap.* Quærenti *20. de verb. signif. et alibi.*

(1) Excommunicatio semper est censura: suspensio et interdictum simplices quoque esse possunt pœnæ.

(2) Degradatus valide facit quæ sunt ordinis: tenetur ad castitatis votum, et ad horas: invalide contrahit matrimonium. Cum degradato solus summus Pontifex potest dispensare: cum deposito potest dispensare Episcopus, si delictum sit adulterio minus.

5. *Quid est Infamia ?*

Est privatio bonæ famæ.

6. *Quotuplex est ?*

Duplex, juris, vel facti : prima est, quæ imponitur a jure canonico, vel civili, et in eam incurritur aut *ipso jure*, aut post judicis sententiam : altera est, quæ contrahitur ex publica notitia commissi criminis.

7. *An aliquando quis infamis evadat ob delictum parentum ?*

Maxime, et præsertim ob crimen hæresis ; dummodo hæresis sit notoria, et in tali hæresi decesserint parentes (*b*) : et juxta aliquos dummodo filii sint nati post delictum. Si pater est taliter hæreticus, etiam nepotes infames habentur.

8. *Quomodo tollitur infamia ?*

Infamia juris tollitur per dispensationem : infamia facti per constantem et publicam emendationem, aut per Baptismum.

(*b*) *Cap.* Statutum 15. *de hæretic. in 6. aliisq. canon. et constitution.*

PARS II.

DE CENSURIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE CENSURÆ DEFINITIONE, ET DIVISIONE.

9. *Quid est Censura?*

Est pœna spiritualis et medicinalis pro culpa inflicta, privans fidelem usu aliquorum bonorum spiritualium (3), per ecclesiasticam potestatem imposita, ut fidelis a contumacia desistat.

10. *Quotuplex est censura?*

Multiplex: et 1. vel est *a jure*, vel *ab homine*, prout emanatur per modum legis, vel per modum præcepti: censura *ab homine* vel est per sententiam generalem, si indeterminate fertur in delinquentes; vel est per sententiam specialem, si in determinatam fertur personam. 2. Est *latæ*, vel *ferendæ sententiæ*: prima incurritur sine judicis sententia, sed ipso facto: secunda est, quæ non incurritur, nisi post judicis sententiam (4*).

---

(3) Bona spiritualia sunt aut mere interna, aut externa, aut mixta. Censura privare potest tantum externis, et mixtis; interna enim non subjiciuntur Ecclesiæ potestati.

(4) Ex verbis emanationis dignoscitur, utrum sit censura latæ, an ferendæ sententiæ. In dubio judicanda est ferendæ sententiæ.

(*) Secundum DD. est latæ sententiæ 1. Si adsit clausula *ipso jure*, *ipso facto*, *sine alia sententia etc.* 2. Si verba sint temporis præteriti, vel præsentis. 3. Si ex delicto uti jam censuratus sit reus considerandus: v. c. *agnoscat se excommunicatum*, *maneat interdictus etc.* 4. Juxta aliquos si imperativo modo absolute, et sine commissione sit expressa. Est ferendæ sententiæ 1. Si verba sint de futuro. 2. Si verba sint minatoria, nisi aliud ex adjunctis colligatur. 3. Si aliqua actio requiratur, aut alteri committatur mandatum excommunicandi etc. *Excommunicatus sit*, *Suspensus sit*, *Anathema sit etc.* utrum sint latæ, vel ferendæ sententiæ, quæstio est. At *anathema sit* Tridentini est certo latæ sententiæ.

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE CENSURAM, ET DE EIUS SUBJECTO.

11. Quinam possunt censuras ferre?

Omnes, qui habent spiritualem potestatem jurisdictionis in foro externo, vel ordinariam, vel delegatam (c 5).

12. Quot conditiones requiruntur in ferente censuras?

Sex sequentes; ut sit vir, baptizatus, saltem prima tonsura initiatus, rationis compos, nulla censura irretitus, et libere agat (d 6).

13. Potestne quis censuram ferre in causa propria?

Minime (e), nisi in casu defensionis (f); quia esset actor et judex eodem tempore.

14. An possit superior extra suum territorium existens censuras ferre contra suos subditos?

Secundum aliquos potest, quando tam clarum est delictum, ut non requiratur causæ cognitio (7).

(c) *Innum. canon.*

(5) Hic accomodantur dicta in tractatu de Legibus num. 15. 76. 77. 80. 81. 82. 84. 85. 95. et 96.

Ex quibus locis per se sequentia fluunt. Jure ordinario censuras ferre possunt Pontifex, et Concilium generale pro tota Ecclesia: Ordinarius, et Concilium peculiare pro quaque sua diœcesi: Vicarius capitularis, et ipsum Capitulum, sede vacante: Superiores Regulares, etiam locales, pro suis subditis. Episcopus non potest alium Episcopum censurare, nisi delegatione Apostolica. Archiepiscopus nequit censurare suffragantes, nisi actu visitationis, aut caussa appellationis. Quæstio est, utrum possit censuras ferre Vicarius generalis: potest tamen juxta omnes declarare, et condemnare in censura jam lata. Parochus non potest.

Delegatus non potest alteri delegare, nisi de expressa concessione. Potest tamen delegatus Apostolicus, nisi expresse sit ei prohibitum. Delegatio per modum mandati expirat morte delegantis, re integra: contra si sit absoluta.

(d) *Ex variis canon.*

(6) Romanus Pontifex ex plenitudine potestatis potest hanc potestatem laico delegare: et probabilius etiam mulieri. Ex veriori sententia valida est censura per metum gravem lata: at nulla est ejus revocatio, et absolutio per metum gravem: vide dicenda in tract. IX. num. 12. 13. et 14.

(e) *Can.* Inter querelas *27. caus. 23. q. 4.* (f) *Cap.* Dilecto *6. de sent. excommun. in 6.*

(7) Requiritur tamen venia Ordinarii loci. Sic etiam potest in vicina diœcesi,

15. Quinam potest esse censuræ subjectus?

Ille, qui est viator, baptizatus, subditus, rationis et doli capax, delinquens, et contumax (*g8*).

16. An impuberes ligentur censuris?

Probabilius non ligantur, nisi expressum sit in jure (*9*).

17. Incurritne censuram, qui delictum committit extra territorium ferentis?

Minime; quia eo non extenditur jurisdictio ferentis. Excipitur 1.° si delictum effectum habeat in territorio ferentis: 2.° ex probabiliori sententia si censura sit ab homine per sententiam specialem (*10*).

18. An ligentur mandantes, vel consulentes delictum?

Minime, nisi sint in lege expressi; uti est in percussione Clerici (*h 11*).

19. Quid si mandatum, vel consilium fuerit ante executionem revocatum?

Si revocatio innotuerit mandatario, vel consulto, mandans, vel consulens probabilius non incurrit censuram; quoniam ablata est contumacia, et causa ex parte sua: si vero revocatio non innotuerit, quæstio est.

---

licentia Ordinarii loci (et etiam sine licentia, si ei denegatur) si ad hoc in propria diœcesi impediatur.

(*g*) *Plur. jur. can. loc.*

(*8*) Hinc etiam hæretici, schismatici, et apostatæ Ecclesiæ censuris subjiciuntur. Defuncti indirecte sunt censurati, aut absoluti; idest decessisse declarantur impœnitentes, aut pœnitentes: et directe fidelibus vivis prohibetur, vel permittitur communicare cum illis.

Quinam subjiciantur legi censuræ, et an Vagi, Advenæ, et Peregrini sint subditi, relege dicta in III. tract. num. 29. 30. et 31. et a num. 34. ad 40.

Utrum incurratur censura, si delictum est inceptum, quando delinquens doli erat capax, et postea est in ejus amentia consummatum, quæstio est.

(*9*) Vide dicenda in XI. tract. num. 169.

(*10*) Idem dicendum si delictum in aliquo loco exemto sit commissum; uti probabiliter sunt Ecclesiæ et Monasteria Regularium.

(*h*) *Cap.* Mulieres *6. de sent. excommun.*

(*11*) Mandantes et consulentes in aliquibus censuris exprimuntur æque principaliter et primario ob solum mandatum vel consilium; aliquoties per accidens: in primo casu solo mandato vel consilio censuram incurrunt; sicuti est in mandato homicidii per assassinium, *cap.* Pro humani *1. de homic. in 6.* in secundo casu requiritur delictum consummatum; uti est in mandato et consilio percutiendi Clericum, *cit. cap.* Mulieres.

20. *Imperatores, Reges, Episcopi, vel alii superiores prælati continenturne in generali lege censuræ?*

Imperatores, et Reges non continentur in generali lege excommunicationis, nisi fiat de eis expressa mentio; ex usu Trid. Episcopi, et alii superiores prælati non continentur in lege suspensionis, et interdicti, nisi fiat de illis specialis mentio; ex cap. *Quia periculosum* 4. de sent. excommun. in 6.

21. *Ligatus aliqua censura potestne altera innodari?*

Maxime, ex cap. *Cum pro causa* 27. de sent. excommun. Immo multiplicatur censura quoties moraliter repetitur transgressio præcepti; quia, multiplicata causa, debet et effectus multiplicari(12).

CAPUT III.

DE CAUSA MATERIALI, ET FORMA CENSURÆ.

22. QUænam est Causa materialis censuræ?

Est peccatum grave, externum, completum, et cum contumacia conjunctum (i 13).

23. *An possit censura infligi pro quocumque peccato?*

Minime; sed tantum pro illis, quæ nequeunt alia via corrigi, vel impediri (k).

24. *Potestne superior pro peccato gravi infligere censuram levem?*

Maxime; quia est dominus legis.

25. *An possit infligere censuram gravem pro peccato levi?*

Minime; nisi materia fiat gravis ex aliqua circumstantia (14).

26. *Potestne censura infligi ob peccatum præteritum?*

Minime ob peccatum omnino præteritum: maxime ob peccatum, quod aliquo modo perseverat (l).

---

(12) Tunc censura, si non actu, virtute tamen suos producit effectus, cum nempe prima censura tollitur.

(i) *Ex variis loc. jur.*

(13) Contumacia in eo est sita, quod delinquens adesse scit Ecclesiæ præceptum aut prohibitio cum censura, et contrarium agit.

(k) *Trid. sess. 25. de reform. cap. 3.*

(14) Pro culpa veniali potest infligi levis censura; ut puta excommunicatio minor etc.

(l) *Cap.* Ex parte *23. de verbor. signif.*

27. *An ob peccatum internum, vel occultum?*

Minime ob peccatum mere internum: maxime ob peccatum internum, quod cum externo actu connexionem habet. Item potest censura infligi ob peccatum externum occultum; quia per accidens non est manifestum.

28. *Inciditne in censuram, qui ante complementum delicti confitetur et absolvitur, aut elicit actum perfectæ contritionis, vel charitatis?*

Quæstio est.

29. *Potestne infligi censura pro peccato, vel contumacia alterius?*

Excommunicatio, suspensio personalis, et interdictum personale non possunt (*m*): suspensio vero, et interdictum generale possunt infligi (*n*).

30. *Ob quas causas censura est nulla?*

Vel defectu ferentis, vel defectu formæ substantialis, vel defectu causæ.

31. *Quænam forma habenda est in ferenda censura?*

Sequens: 1. ut censura feratur in scriptis: 2. ut præcedat trina monitio, vel una pro tribus, modo id exprimatur: 3. ut exprimatur nomen ferentis, et rei: 4. ut intra mensem tradatur exemplum scripturæ reo petenti: 5. ut in scriptura exprimatur causa, et species censuræ (*o*). Sed solus defectus monitionis reddit censuram invalidam: defectu aliarum solemnitatum censura est injusta, sed valida (*15*).

(*m*) *Can.* Si habes *caus. 24. q. 3. cap.* Romana *5. de sent. excomm. in 6. aliubiq.*

(*n*) *Cap.* Si sententia *16. de sent. excomm. in 6. et alibi.*

(*o*) *Ex variis loc. jur.*

(*15*) In censura *latæ sententiæ* jam emanata pro culpa futura non requiritur monitio; ipsa enim lex seu præceptum est vera monitio. At habenda est monitio (seu rectius citatio rei) in censura ferendæ sententiæ: sicuti etiam si quis censuratus sit nominatim denuntiandus: nonnulli excipiunt, si tam notorium sit delictum, ut nullo pacto possit defendi.

Superior (non Episcopus) hujusmodi solemnitates temere omittens, in interdictum incidit ab ingressu Ecclesiæ, et suspensionem ab officiis divinis per mensem, *cap.* Cum medicinalis *1. de sentent. excomm. etc. in 6.*

Pro suspensione, et interdicto, cum sunt simplices pœnæ, non requiritur monitio.

32. Quotupliciter potest causa deficere?

Triplici modo : vel quia delictum non adest, et non probatur : vel quia delictum adest, et non probatur : vel quia delictum non est verum, at probatur. In primo casu juxta omnes censura est nulla : in secundo et tertio casu quæstio est (*16*).

CAPUT IV.

DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A CENSURA, ET EJUS ABSOLUTIONE.

33. Ob quas causas quis excusatur a censura?

Ob multas ; scilicet ob ignorantiam, metum, impotentiam physicam vel moralem, appellationem ante censuræ prolationem, consensum illius, in cujus favorem lata est censura, et omne id, quod a peccato excusat (*p17*).

34. Quomodo tollitur censura?

Absolutione (*).

35. Quotuplici modo potest quis a censuris absolvi?

Multiplici modo : 1. absolute, vel conditionate : 2. quoad omnes effectus, vel quoad aliquem effectum tantum : 3. quoad reincidentiam, vel non (*18*✻).

(*16*) In tertio casu exterius tantum se tanquam censuratum quis gerere debet ad scandalum vitandum, textu expresso in cap. *Inquisitioni* 44. de sent. excomm.

(*p*) *Var. canon.*

(*17*) De metu et ignorantia, relege dicta in 1. tract. num. 33.51.52. et in nota (*11*).

(*) Contrarium fuit damnatum ab Alexandro VII. die 18. Mart. 1666. in prop. 44. quæ ajebat : *Quoàd forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante cessant censuræ.*

(*18*) Species absolutionis conditionatæ est illa, quæ datur ad cautelam : prout est illa, quæ præmitti solet absolutioni a peccatis, et quæ mittitur a S. Sede in gratiis, dispensationibus, beneficiis etc. vel quæ datur a Prælato Regulari in aliqua electione etc. Istæ tamen tantum valent, ut sit valida gratia, dispensatio, electio passiva vel activa etc.

Probabilius et communius clausula *satisfacta parte* semper est vera conditio : quare non valet absolutio, ea non impleta.

Ex probabiliori sententia censura absoluta cum reincidentia sine nova culpa renasci non potest. Nova culpa est si non pareat absolutus præcepto sibi imposito, si non satisfaciat etc.

Qui potestatem habet absolvendi a censuris in foro conscientiæ, probabilius pot-

36. Peccatne mortaliter, qui censura ligatus absolutionem non sollicitat.

Maxime; quia voluntarie se privat magnis bonis spiritualibus.

---

est id agere extra Confessionem, nisi alias sit a Superiore expressum. Ad absolvendum a censura sufficiunt quæcumque externa signa; at non sufficit sola absolventis voluntas.

(*) Forma adhibenda in censura absolvenda in foro conscientiæ ex usu est: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis, suspensionis etc. quam incurristi propter* (exprimitur causa) *et restituo te* (si sit excommunicatus) *Sacramentis Ecclesiæ, et communioni fidelium* (si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum, vel officiorum etc. In nomine Patris etc.* In solemni vero et publica absolutione servanda est forma, si qua sit a superiore præscripta: alias adhibeatur consueta, quæ habetur in Rituali Romano.

Si censura sit ob crimen enorme, reus ante absolutionem juramentum præstare debet de non committendo amplius illud crimen, *ex cap.* Ex tenore *10. de sent. excomm. et alibi.*

Quinam possint a censuris absolvere, dicetur in XI. tract. cap. 2.

PARS III.

DE CENSURIS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE EXCOMMUNICATIONE.

SECTIO I.

DE EXCOMMUNICATIONE MAJORI (19).

37. *Quid est Excommunicatio?*

Est censura ecclesiastica, per quam homo Christianus a communione Ecclesiæ separatur (q).

38. *Qua communione privatur excommunicatus?*

Communione externa, et mixta, non vero pure interna.

39. *Quotuplicis generis sunt excommunicati?*

Duplicis generis; aut sunt *vitandi*, aut *tolerati*: Vitandi sunt, quos fideles vitare tenentur: tolerati, quos fideles non tenentur vitare. Vitandi sunt 1. publici percussores Clericorum; 2. qui nominatim sunt excommunicati, publicati, et specialiter denuntiati: omnes alii sunt tolerati.

40. *Quinam sunt excommunicationis effectus?*

Effectus directi sunt: 1. privatio activa et passiva Sacramentorum: 2. privatio communium Ecclesiæ suffragiorum: 3. privatio celebrationis, et præsentiæ divinorum officiorum: 4. inhabilitas ad quodvis ecclesiasticum beneficium: 5. privatio exercitii ju-

---

(19) Excommunicatio est vel major, vel minor, *cap.* Si quem 59. *de sent. excomm.* Hic agitur de majore; de minore inferius.

Nomine excommunicationis intelligitur major, nisi addatur adjectivum minor, *cap. cit.* Per Anathema vero intelligitur excommunicatio major cum majore solemnitate lata, *ex var. canon.*

(q) *Can.* Omnis Christianus 32. *caus.* 11. *q.* 3.

risdictionis spiritualis: 6. privatio communionis civilis cum fidelibus: 7. privatio ecclesiasticæ sepulturæ: 8. denique annullatio impetrationis gratiarum a Sede Apostolica. Effectus autem indirecti sunt 1. si violatur excommunicatio per actum ordinis majoris, incurritur irregularitas: 2. si quis per annum integrum insurdescit in excomm. potest contra istum procedi, tamquam suspectum de hæresi (*r*).

§. I. *De Privatione usus activi et passivi Sacramentorum.*

41. *Excommunicatus an valide, et licite Sacramenta recipiat, et utrum incidat in aliquam pœnam?*

Tam vitandus, quam toleratus valide recipit Sacramenta, excepta Pœnitentia: sed illicite, dummodo non sit in necessitate. Si recipit Sacramentum Ordinis, incidit in suspensionem: et si est Clericus sæcularis, et scienter recipit Sacramentum Ordinis, est deponendus (*s*).

42. *An excommunicatus valide, et licite ministret Sacramenta, et utrum in aliquam incidat pœnam?*

Toleratus valide ministrat; et etiam licite, modo sit petitus. Vitandus valide et licite ministrat in necessitate Sacramenta necessaria: extra necessitatem illicite ministrat, sed valide; excepta Pœnitentia. Tum toleratus, tum vitandus illicite ministrantes per exercitium ordinis majoris incidunt in irregularitatem (*t* 20).

(*r*) *Ex innum. canon. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3.*

(*s*) *Cap.* Cum illorum 32. *de sent. excomm.*

(*t*) Ita commun. ex can. *Si quis episcopus* 6. et 7. caus. 11. q. 3. ex cap. *Si celebrat* ult. de cleric. excomm. etc. ex cap. *Is qui* 18. et cap. *Is cui* 20. de sentent. excomm. etc. in 6. *et aliunde.*

(20) Sacramenta necessaria sunt Pœnitentia; ejus defectu Eucharistia; istius defectu Extrema Unctio. Baptismus potest in necessitate a vitando ministrari absque sollemnitatibus.

Vitandus ob metum gravem ministrans non peccat; modo non fiat in contemtum, et nullum non sit Sacramentum. Utrum valide et licite matrimonio assistat Parochus excommunicatus, dicetur in XIII. tract. num. 236 et 237. Si Parochus excommunicatus matrimonio tantum assistat, non fit irregularis: si vero benedicat, fit irregularis.

Dissidium est, utrum fiat irregularis excommunicatus vitandus Pœnitentiæ Sacramentum ministrans.

43. *An peccet, et incidat in aliquam pœnam, qui ab excommunicato recipit Sacramenta?*

Si recipit ab excommunicato tolerato in aliqua necessitate, non peccat; sine necessitate, probabilius ne peccat quidem: si recipit Sacramenta a vitando absque necessitate, peccat, et incidit in excomm. minorem; et si absque necessitate recipit Baptismum ab hæretico sic declarato, incidit in irregularitatem (*u*). Si denique recipit Ordinem ab Episcopo excomm. vitando, præter excomm. minorem incidit etiam in suspensionem exercitii Ordinis suscepti (*x* 21).

44. *Peccatne, et in aliquam incidit pœnam, qui excommunicato ministrat Sacramenta?*

Si ministrat vitando, peccat graviter, et incidit in excomm. minorem, et interdictum ab ingressu Ecclesiæ: excipitur casus necessitatis extremæ (*y*). Si ministrat tolerato occulte petenti peccat tantum: si ministrat tolerato publice petenti, ne peccat quidem. Clericus scienter et sponte Sacramenta ministrans excommunicato nominatim a Papa incurrit excomm. majorem Papæ reservatam (*z*).

§. II. *De Privatione communium Ecclesiæ suffragiorum, et divinorum officiorum.*

45. *Quid, et quotuplex est suffragium?*

Suffragium est quodcumque bonum spirituale proximo applicatum, sive ex opere operato, sive ex opere operantis. Vel est commune, illud nempe quod a ministris Ecclesiæ, nomine ipsius Ecclesiæ offertur: vel privatum, et est quod private offertur a persona particulari.

46. *An excommunicatus privetur suffragiis Ecclesiæ?*

Vitandus privatur communibus, non privatis: toleratus non

(*u*) *Ex can.* Qui in qualibet ætate 10. *caus.* 1. *q.* 7.

(*x*) *Ex can.* 1. *et seq. caus.* 9. *q.* 1. *et cit. cap.* Cum illorum §. *fin.*

(21) An possit quis ab excommunicato Sacramenta petere, vide in tract. IV. num. 96. et subjecta nota.

(*y*) *Cap.* Episcoporum 8. *de privileg. in* 6. (*z*) *Cap.* Significavit 48. *de sent. excomm.*

privatur privatis ; utrum privetur communibus, quæstio est (22).

47. Utrum peccet, et incidat in aliquam pœnam, qui suffragia applicat pro excommunicato ?

Si applicat suffragia communia pro vitando, peccat, et incidit in excomm. minorem : sed potest pro illo applicare privata. Pro tolerato potest applicare privata : utrum peccet applicando pro eo communia, quæstio est ; at in nullam incidit pœnam (23).

48. Quid venit nomine divinorum officiorum ?

Veniunt omnes sacræ functiones, quæ de Christi vel Ecclesiæ institutione a ministris ejusdem Ecclesiæ ad id ordinatis publice et solemniter peraguntur.

49. Potestne excommunicatus celebrare divina officia, vel eis interesse ?

Minime, sive sit vitandus, sive toleratus (*a*) : et si vitandus monitus non vult exire ab Ecclesia, incidit in excomm. majorem Papæ reservatam (*b* 24). At potest private in Ecclesia orare : sicuti etiam catechismum audire.

50. Quid agendum fidelibus, si excommunicatus vitandus post monitionem non vult ex Ecclesia exire ?

Debent ipsi ab eo recedere : Sacerdos Missam celebrans ab altari recedere debet, si non dum sit canon inceptus ; si vero sit canon inceptus, peracta sumptione, reliqua in sacristia perficere debet : aliter peccant graviter, et incidunt in excomm. minorem (25).

---

(22) Potest tamen orari pro vitandis in genere : immo in Missa quoque potest Sacerdos pro vitando privatim orare.

(23) Probabilius non possunt communia suffragia applicari pro vitando contrito.

(*a*) *Cap.* Significavit *18. et cap.* Responso *43. de sentent. excomm.*

(*b*) *Clement.* Gravis *2. de sentent. excomm.*

(24) Excommunicatus toleratus potest Missam celebrare, si sit petitus. Episcopus, vel alius Sacerdos censuratus, qui sua auctoritate procurat, ut coram se Missa celebretur, vel alia divina officia per exercitium ordinis majoris, incidit in irregularitatem, ex communi sententia, argumento deducto ex cap. *Illud Dominus* 5. de cler. excomm. ministr. Clericus excomm. tenetur recitare horas canonicas : sed absque *Dominus vobiscum*, sub veniali.

Excommunicatus non procurans absolutionem peccat non audiendo sacrum in diebus præcepti, non satisfaciendo annuæ confessioni, et communioni etc.

(25) Clerici incidunt etiam in interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si scienter non

§. III. *De Inhabilitate ad beneficia ecclesiastica, et Privatione jurisdictionis spiritualis.*

51. *Collatio beneficii facta ab excommunicato est ne valida?*
Minime, si est vitandus: maxime, si est toleratus.

52. *Collatio beneficii (26) facta excommunicato estne valida?*
Minime; licet sit toleratus, quidquid aliqui dicant. Collator peccat contra præceptum Ecclesiæ; et si beneficium conferat vitando, incidit in excomm. minorem; et si scienter hoc faciat, incidit etiam ipso facto in suspensionem a collatione beneficiorum (c 27).

53. *An excommunicatus licite, et valide faciat ea, quæ sunt jurisdictionis?*
Toleratus valide ea facit; quia non privatur jurisdictione: sed illicite, nisi sit petitus. Vitandus vero invalide, et illicite; quia jurisdictione privatur (d 28).

---

recedunt, aut præsumtuose admittunt vitandum ad sacramenta, vel ad sepulturam ecclesiasticam, *cap.* Episcoporum *8. de privileg. in 6.* At si vitandus assistat alii sacrificio, fidelis non tenetur recedere.

(26) Ex DD. hic nomine beneficii venit quodcumque officium, dignitas etc. sive regularis, sive sæcularis, tam in foro interno, quam in externo; excommunicatus enim ab eorum exercitio est exclusus.

(c) *Cap.* Postulastis *7. de cleric. excomm. ministr.*

(27) Neque absolutione obtenta fit valida collatio.

Si beneficiarius erat censuratus tempore collationis, electionis, præsentationis, et non tempore acceptationis, nulla est collatio etc. vice versa quæstio est. Nullus fit casus de possessione, cum sit accessoria.

Si censuratus post absolutionem iterum beneficium rite obtinet, suos facit fructus interea perceptos, dummodo per se vel per alium expleverit onera beneficii: quia fructus beneficii vacantis cedunt successori.

Qui ex ignorantia invincibili excommunicationis beneficium recipit, non potest illud retinere: nisi illud præscripserit per triennalem possessionem. Sed uti possessor bonæ fidei potest fructus suæ sustentationi congruos retinere: at alios restituere debet, modo extant, aut factus est ditior; dummodo illos non præscripserit.

(d) *Cap.* Ad probandum *24. de sent. et re judic. et alibi.*

(28) Quæstio est, utrum sint valida acta a judice excomm. vitando.

Cum Episcopus est excomm. vitandus, Vicarius generalis jurisdictione privatur, etiam re non integra; quia unum cum Episcopo tribunal constituit. Sic delegatus jurisdictione privatur, si delegans evadit excomm. vitandus, re integra: at re non integra, minime privatur; delegatus enim cum delegante unum non facit.

§. *IV. De Privatione civilis communionis (29) cum fidelibus.*

54. Potestne excommunicatus cum fidelibus communicare?

Minime, sive sit vitandus, sive toleratus (*e* 30).

55. An peccet fidelis, et incidat in aliquam pœnam cum excommunicato communicans?

Si communicat cum tolerato, non peccat contra præceptum Ecclesiæ: sed potest aliquando peccare ratione scandali, vel periculi, et juxta aliquos, si sint frequentes communicationes, et connexæ per modum unius. Si communicat cum vitando in divinis, peccat graviter, et incidit in excomm. minorem: at si Clericus scienter, et sponte cum excommunicato nominatim à Papa denuntiato communicat in divinis, incidit in excomm. majorem Papæ reservatam (*f*). Si communicat fidelis cum vitando in humanis, peccat leviter, et incidit in excomm. minorem: at si fidelis scienter, et in materia gravi cum vitando communicat in eodem crimine, ob quod fuit excommunicatus, sciens ob tale crimen fuisse excommunicatum, peccat graviter; et incidit in eandem excomm. majorem (*g* 31).

56. In quibus prohibetur fidelis communicare cum excommunicato vitando?

In sequentibus: *Os*, *Orare*, *Vale*, *Communio*, *Mensa negatur* (*h*): idest prohibetur confabulatio (etiam per litteras, nuntium, nutus, signa); oratio; salutatio (et quæcunque signa amici-

---

(29) Communicatio civilis vel est privata, vel publica seu forensis.

(*e*) *Cap.* Nuper *19. de sentent. excomm. et cit. Concil. Constant.*

(30) Potest tamen communicare cum infidelibus. At non potest cum alio excommunicato; iste enim est fidelis.

(*f*) *Cap.*Significavit *18. de sentent.excomm.alibiq.*(*g*)*Ex cit.cap.*Nuper, *et aliunde.*

(31) Dicitur communicare quis in criminoso crimine, quando communicat in eodem crimine vel contumacia, ob quam lata est excommunicatio; aut quando cooperatur, ut excommunicatus perseveret in crimine, vel in contumacia, ob quam fuit excommunicatus. Lis est utrum latæ vel ferendæ sententiæ sit hujusmodi excommunicatio.

Vitandus in loco ubi non est denunciatus, privatim est vitandus, non vero publice: aliqui dicunt ne privatim quidem esse vitandum. Idem est de publico Clerici percussore in loco ubi non est notorius.

(*h*) *Ex can. 15. 16. 17. 18. et 19. caus. 11. q. 3.*

tiæ, ut puta oscula, munera etc.); omnis societas et communicatio in cibo; vel potu.

57. In quibus est licitum cum vitando communicare?

In his, quæ in hoc carmine continentur: *Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse* (*i*); nimirum cum adest magna utilitas spiritualis, vel temporalis; lex matrimonialis (32); subjectio (✠); ignorantia juris vel facti, dummodo non sit affectata (33); et necessitas gravis, spiritualis vel temporalis, propria vel aliena; etiam ipsius excommunicati. (34)

§. V. *De Privatione ecclesiasticæ sepulturæ, et de Nullitate impetrationis gratiarum.*

58. Potestne excommunicatus in Ecclesia sepeliri?

Vitandus non potest, etsi dederit signa pœnitentiæ: toleratus potest, si pœnitentiæ dederit signa (*k* 35).

59. Estne valida gratia a S. Sede excommunicato impertita?

Minime (*l*).

(*i*) *Ex can.* Quoniam multos 103. *caus.* 11. *q.* 3. *et aliunde.*

(32) Conjuges non possunt communicare 1. in crimine criminoso: 2. facto divortio: 3. si excommunicatio lata sit propter dubium valoris matrimonii: 4. si alter conjux sit ob hæresim excommunicatus, *ex cap.* Decrevit 14. *de hæret. in* 6. 5. ex veriori sententia in divinis.

Non convenit inter DD. utrum conjux, qui scienter matrimonium cum excommunicato contraxit, possit deinde cum ipso communicare.

(✠) Quare possunt communicare 1. filii cum parente excomm. quod probabiliter extendunt DD. ad filios emancipatos, adoptivos, ad nepotes, et ad affines in eodem genere, ut est nurus, privigna etc. 2. Religiosi cum suis Prælatis. 3. Famuli cum dominis. 4. Milites cum duce etc. Sic quoque parentes, domini etc. communicare possunt cum filiis, famulis etc. excommunicatis, ut docet D. Thom. suppl. q. 23. art. 1. aliique plurimi.

(33) Utrum excuset ignorantia crassa et supina, quæstio est.

(34) Quæ hucusque dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso, et interdicto in iis rebus, in quibus vi suspensionis vel interdicti prohibitum est eis communicare: possumus tamen cum illis indifferenter communicare, si non sint publice denunciati. Et idem aliqui DD. de irregulari tenent, et eruunt ex laud. Conc. Const.

(*k*) *Cap.* Sacris 12. *de sepult. et alibi.*

(35) Si jam est sepultus, exhumandus est, (si ossa discerni possunt) nisi dederit signa pœnitentiæ: si vero pœnitentiæ dederit signa, absolvendus est. Reconcilianda est Ecclesia polluta per sepulturam excommunicati vitandi.

In quam pœnam incidant sepelientes, dicetur in tract. IX. num. 297. in nota (99).

(*l*) *Cap.* Dilectus 26. *de rescriptis, et alibi.*

SECTIO II.

DE EXCOMMUNICATIONE MINORI.

60. *Quid est Excommunicatio Minor?*

Est censura ecclesiastica, qua homo Christianus privatur secundum quid communione fidelium.

61. *Quinam sunt hujusmodi censuræ effectus?*

Sunt tres: primus directus est non posse sub gravi Sacramenta suscipi: alter indirectus est non posse saltem sub levi Sacramenta ministrari sine necessitate; at non omnes admittunt hunc secundum effectum: tertius indirectus est, quod sit infirmanda electio ad beneficium ecclesiasticum scienter habita (*m*).

62. *Quinam potest ab hac absolvere censura?*

In foro externo Episcopus: in foro interno quilibet Confessarius (*n*).

SECTIO III.

DE EXCOMMUNICATIONE, QUÆ CONTRAHITUR OB CLERICI PERCUSSIONEM.

63. *Quid venit nomine percussionis?*

Violenta et injuriosa manuum injectio in Clericum, vel Religiosum, sive immediata sit, sive mediata (✱).

(*m*) *Cap.* Si celebrat *10. de Cleric. excomm. ministr.* (*n*) *Ex cit. cap.* Nuper.

(✱) Quare habetur quoque hujusmodi percussio: 1. Si quis Clericum conspuit, aqua vel pulvere conspergit, aut luto conspurcat, evellit crinem, lacerat vestem, aliquid per vim, injuriam ab eo eripit, ut puta pileum, pallium etc. et secundum aliquos si quis sclopum explodit in Clericum, qui ob metum exanimis cadit, etiamsi globus eum non tangat. 2. Si quis Clericum concludit, aut violenter detinet loco, a quo sine vi vel dedecore exire non potest. 3. Si quis Clericum persequitur, ut in flumen vel fossam incidat, equo decidat etc. 4. Si quis manus in equum, cui Clericus insidet, violentas injicit, occidendo, vulnerando, cædendo, sistendo per frænum etc. Sic quoque inter varias DD. opiniones verius est dicendum veram adesse percussionem, si venenum præbetur Clerico; sed cum venenum incipit lædere. Hæc omnia intelliguntur, etiamsi fiant Clerico consentienti; ita communiter ex variis jur. loc.

64. *Quotuplex esse potest?*

Triplex, levis, vel gravis, vel enormis: levis est, quæ nullum relinquit vestigium: gravis, quæ signum relinquit: enormis, quando adest mutilatio, vel gravis vulneratio (36).

65. *Quinam veniunt nomine Clerici, et Monachi?*

Nomine Clerici veniunt omnes prima tonsura insigniti. Nomine Monachi intelliguntur omnes Regulares utriusque sexus, etiam Conversi et Conversæ, Novitii et Novitiæ, Tertiarii et Tertiariæ Mendicantium in communitate viventes; et etiam Eremitæ, dummodo ex legitima facultate habitum deferant, et sub certa regula, et speciali obedientia Episcopi alteriusve Prælati, alicui Ecclesiæ vel Eremitorio deserviant (o).

66. *In quam pœnam incidunt hujusmodi percussores?*

In excomm. majorem (p): in eandem incidunt etiam mandantes, consulentes, non impedientes, si ex officio tenentur impedire (*); et ratum habentes, dummodo percussio sit facta nomine sui, vel in sui gratiam, ratihabitio sit exterius manifestata, et ratum habens tempore percussionis poterat saltem habitualiter illam mandare, vel consulere (q): juxta aliquos in eandem excomm. incidit Clericus seipsum ex ira percutiens. Clericus sui percussioni consentiens incidit in excomm. ferendæ sententiæ (r).

67. *Quinam excusantur ab hujusmodi pœna?*

Plures· 1. qui Clericum percutit cum moderamine inculpatæ tutelæ: 2. aut ignorans esse Clericum (probabilius non excusat ignorantia crassa): 3. aut casu fortuito, vel ira subitanea sine sufficiente deliberatione: 4. qui in continenti percutit Clericum tur-

(36) Levis ex circumstantiis potest evadere gravis, vel enormis; et gravis potest fieri enormis: ut puta ratione dignitatis personæ offensæ, aut scandali, aut loci sacri vel publici, aut temporis, aliusve circumstantiæ.

(o) *Ex variis cap. jur. canon.*

(p) *Can.* Si quis suadente diabolo *19. caus. 17. q. 4.*

(*) Uti sunt judices, magistratus, et cæteri superiores: patres, tutores, heri, pædagogi, aliique, quibus percussoris cura est demandata. Verius non comprehenduntur qui ex charitate tantum tenentur impedire.

(q) *Ex cap.* Cum quis *23. de sentent. excomm. etc. in 6.*

(r) *Cap.* Contingit *36. de sent. excomm.*

piter agentem (37) cum matre, vel sorore, vel filia, vel uxore: 5. mulieres percutientes Clericum ad defendendam pudicitiam: 6. Prælatus, magister, pater (et mater) percutientes moderate causa correctionis (38): 7. denique percutientes Clericum, qui amisit privilegium canonis (s 39).

68. *Clerici percussor estne excommunicatus vitandus?*

Maxime, dummodo percussio sit tam notoria, ut nulla tergiversatione possit factum celari, nulloque suffragio excusari (t 40).

69. *Quinam possunt ab hac excommun. absolvere?*

Episcopus, si percussio est levis, aut occulta, ex cap. *Liceat* Tridentini; aliter Summus Pontifex. Episcopus potest etiam absolvere in publica gravi, 1. quando Ostiarius ex officio Clericum percutit; 2. si Clerici in communi viventes se mutuo percutiunt. Sic etiam Prælatus Regularis in publica gravi potest absolvere Religiosum, qui percussit alium Religiosum ejusdem claustri (41). Insuper potest Episcopus absolvere in publica enormi 1. impuberes: 2. Monialem, quæ aliam percussit: 3. personam non sui juris: 4. et legitime impeditos (u 42).

---

(37) Etsi faciem tantum leviter tangat; aut solus inveniatur cum sola in loco suspecto cum aliis conjecturis etc. ita DD. plures.

(38) Prælatus, et magister, dummodo sint clerici, possunt correctionis causa clericum etiam in sacris moderate percutere: at hoc per laicum peragere non possunt. Utrum possit pater vel mater filium in sacris constitutum percutere, dissidium est.

(s) *Ex innum. jur. loc.*

(39) Nequit Clericus huic privilegio cedere; cum sit ordinis clericalis proprium, *cit. cap.* Contingit.

(t) *Cit. Concil. Constant.*

(40) Ex communi non sufficit notorietas juris; nisi cum jam a judice sit denunciatus ut excommunicatus etc. neque notorietas famæ; sed requiritur ut ipsa percussio fuerit publica, *ex laud. Conc.* Immo aliqui præter factum publicum requirunt etiam juris notorietatem, per sententiam nempe judicis, aut rei confessionem.

(41) Secundum aliquos potest Prælatus Regularis suos subditos absolvere, quamvis percussio sit enormis et publica, non solum Religiosis ejusdem ordinis inflicta, sed etiam alterius ordinis, sive Clericis sæcularibus, ex privileg. Bonifacii IV. et Clementis VIII.

(u) *Ex variis jur. loc.*

(42) Si impedimentum est temporale, imponendum est onus se superiori præsentandi, impedimento cessante; et hoc sub reincidentia.

CAPUT II.

DE SUSPENSIONE.

70. *Quid est Suspensio?*

Est censura ecclesiastica, qua Clericus prohibetur exercere aliquos actus ecclesiasticos alias sibi competentes.

71. *Quotuplex esse potest?*

Multiplex: 1. vel ab officio, vel a beneficio (idest a fructibus beneficii), vel ab officio et beneficio simul: 2. vel est ab ordine, vel a jurisdictione, vel ab utroque: 3. est totalis, vel partialis: 4. potest esse a jure, vel ab homine: 5. denique est vel perpetua, vel temporalis.

72. *Adestne differentia inter suspensionem, et excommunicationem?*

Maxime; nam suspensio afficit solos Clericos, excommunicatio etiam laicos: prima non privat communione fidelium, sicuti secunda.

73. *Quotuplicis generis sunt suspensi?*

Sunt vitandi, vel tolerati: primi sunt tales declarati: secundi non sunt declarati tales.

74. *Suspensus ab ordine inferiori estne etiam suspensus ab ordine superiori, vel vice versa?*

Maxime; nisi aliud exprimatur: at non vice versa (43).

75. *Num actus eliciti a suspenso valeant?*

Si sunt eliciti a suspenso ab ordine, valent; suspensio enim characterem non tollit. Si sunt actus jurisdictionis eliciti a suspenso a jurisdictione tolerato, valent; talis enim suspensus non privatur jurisdictione: si vero actus jurisdictionis sunt eliciti a suspenso a jurisdictione vitando, non valent; quia iste jurisdictione privatur (44).

---

(43) Suspensus ab ordine non est a jurisdictione suspensus: et vice versa.

(44) Suspensus a beneficio probabilius non amittit jus ex beneficio competens conferendi, aut eligendi ad beneficia.

76. *Peccatne suspensus, qui extra territorium superioris exercet actum prohibitum?*

Maxime; quoniam contracta censura reum sequitur, ubicumque sit.

77. *Inciditne in aliquam pœnam, qui suspensionem violat?*

Suspensus ab ordine exercens actum ordinis majoris eo modo, quo a laicis exerceri nequit, incidit in irregularitatem (*x* *45*).

78. *Quibus modis tollitur suspensio?*

Tollitur per absolutionem: aut per lapsum temporis, quando est temporalis; aut per dispensationem, quando est pura pœna; aut per conditionis eventum, si conditionata sit.

CAPUT III.

DE INTERDICTO, ET CESSATIONE A DIVINIS.

79. QUid est Interdictum?

Est censura ecclesiastica, per quam fidelis arcetur a participatione aliquorum Sacramentorum, omnium divinorum officiorum, et ecclesiastica sepultura (*y*).

80. *Quotuplex est interdictum?*

Multiplex: et 1. est locale, vel personale, vel mixtum, prout afficit locum, vel personam, vel utrumque. 2. Est particulare, vel generale (*46*).

81. *Quinam sunt interdicti effectus?*

Sunt tres, privatio nempe usus activi et passivi quorundam

(*x*) *Cap.* Cum medicinalis *1. de sentent. excomm. etc. in 6. et alibi.*

(*45*) Provisio facta suspenso a beneficio vel officio est illicita, sed valida, quidquid aliqui sentiant. Iste privatur fructibus; quare illos tenetur restituere. Si se ingerit in beneficii administrationem, ipso jure est beneficio privatus, *cap.* Statuimus *1.* §. *2. de elect. etc. in 6.*

(*y*) *Ex variis loc. jur.*

(*46*) Interdicta civitate, sunt interdicta suburbia, et Ecclesiæ exemtæ Regularium; et non vice versa. Interdicta Ecclesia, est interdictum etiam cœmeterium, et sacellum contiguum; et non vice versa. Interdicto populo, non est interdictus Clerus, nec extranei; et vice versa: sic etiam est de Religiosis. Interdicta communitate, omnes interdicuntur quamdiu sunt communitatis pars: *ex variis loc. jur.*

Sacramentorum; privatio divinorum officiorum; et privatio sepulturæ ecclesiasticæ (z).

82. Quænam sacramenta possunt administrari tempore interdicti?

Baptismus: Confirmatio propter moræ periculum (47): Pœnitentia iis, qui causam non dederunt interdicto: Eucharistia in probabili periculo mortis (48): Matrimonium; non vero ejus solemnitas: at hujusmodi sacramenta ministrari nequeunt in loco specialiter interdicto, neque personæ specialiter interdictæ, neque a ministro specialiter interdicto (49). Item probabilius possunt Clerici divinis officiis assistentes Eucharistiam sumere. Quæstio est, utrum in interdicto generali possint fideles Eucharistiam sumere ad Paschatis præceptum adimplendum. Denique extrema Unctio ministrari potest, si infirmus alia sacramenta sumere nequit: et Religiosis ex privilegio (a 50).

83. An liceat officia divina celebrare tempore interdicti localis generalis?

Possunt Clerici atque Religiosi Missas divinaque officia celebrare: sed januis clausis, sine sonitu, voce submissa, et exclusis personaliter interdictis, atque iis qui interdicto causam dederunt (b 51).

84. Potestne aliquando Missa celebrari in loco specialiter interdicto?

Maxime, semel in hebdomada ad Eucharistiam renovandam pro infirmis (c 52).

(z) *Cap.* Alma mater *24. de sentent. excomm. etc. in 6.*

(47) Quare fieri potest catechismus, benedictio fontis, et chrismatis consecratio.

(48) Cum campanula, luminibus, fidelium comitatu etc. Dari potest etiam specialiter interdictis, et iis qui interdicti causam dederunt, sed præstita satisfactione, vel jurata cautione.

(49) Secundum aliquos matrimonium ministrari potest etiam specialiter interdictis, *Glossa in cap.* Alma mater *verb.* Sacramentis.

(a) *Ex multis loc. jur.*

(50) Ex communi sententia potest Ordo conferri generaliter interdictis in loco non interdicto.

(b) *Cap. cit.* Alma mater, *et alibi.*

(51) Nomine Clericorum hic veniunt omnes viri ac mulieres, qui gaudent privilegio fori et canonis, ex can. *Duo sunt* 7. caus. 12. q. 1. Possunt assistere etiam laici ad officium necessarii; nec non pueri nondum habentes rationis usum.

Si specialiter interdictus assistere præsumat, Ministri debent recedere, prout dictum est de excommunicato vitando.

(c) *Ex cap.* Permittimus *57. de sentent. excomm.*

(52) Tempore interdicti nequeunt defuncti in Ecclesia sepeliri, ne infantes quidem,

85. *In quibus diebus suspenditur interdictum generale locale?*

In diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. V. in festo Sacratissimi Corporis Christi cum octava, in festo Conceptionis B. M. V. et ejus octava (*d53*).

86. *In quam incidunt pœnam violatores interdicti?*

Præsumtuosi violatores incidunt in excomm. Papæ reservatam (*54*): Clerici et Religiosi simpliciter interdictum violantes per actum ordinis majoris incidunt in irregularitatem (*55*): et si interdictum violant per celebrationem Missæ, vel divinorum officiorum, inhabilitatem incurrunt ad electionem activam et passivam: iidem quamvis non interdicti si laicos admittunt interdictos ad divina officia, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ ad arbitrium illius, qui interdictum posuit (*e*).

87. *Quinam possunt ab interdicto absolvere?*

Interdictum generale tolli non potest, nisi ab habente jurisdictionem in foro externo: sic etiam interdictum locale, quamvis particulare. Interdictum speciale personale absolvi potest a quocumque Confessario, dummodo non sit reservatum (*56*).

---

aut amentes etc. Clerici non personaliter interdicti, nec causam dantes, neque interdictum violantes possunt sepeliri in loco sacro, quamvis interdicto; sed silentio, *cap.* Quod in te *11. de pœnitent. et remission.* Laici non personaliter interdicti, sepeliri possunt extra locum interdictum in alio loco sacro, *cap.* Si sententia *16. de sentent. excomm. etc. in 6.*

Sepelientes temere specialiter interdictum, vel in loco specialiter interdicto excomm. incurrunt, ex Clement. *Eos, qui* 1. de sepult. Lege dicenda in tract. IX. n. 297. not. (*99*).

Corpus personaliter interdicti est exhumandum, sicuti dictum est de excommunicato vitando.

(*d*) *Ex cap. cit.* Alma mater, *et aliis pontificiis concessionibus.*

(*53*) Hisce diebus possunt etiam assistere specialiter interdicti, et qui causam dederunt, modo ad Altare non appropinquent, *ex cit. cap.*

(*54*) Dicuntur violatores præsumtuosi 1. domini temporales Clericos cogentes ad non observandum interdictum: 2. iidem cogentes pulsare campanas ad hoc ut populus accedat, quando divina officia celebrantur; vel si populus accesserit, cogunt, ne expellatur monitus: 3. interdictus qui monitus non vult Ecclesia exire, *ex cit. Clement.* Gravis.

(*55*) Triplici modo violatur interdictum per exercitium ordinis majoris: 1. si interdictus ordinem exercet: 2. si non interdictus in loco interdicto sacramenta ministrat: 3. si non interdictus in loco non interdicto personæ interdictæ administrat Sacramenta prohibita. In tertio casu non incurritur irregularitas.

(*e*) *Ex variis cap. jur.*

(*56*) Interdictum illius, qui causam dedit interdicti generalis, et interdictum ab homine per sententiam specialem, sunt per se reservata.

88. *Quid est interdictum ab ingressu Ecclesiæ?*

Est censura ecclesiastica, qua quis privatur exercitio ordinis sacri in Ecclesia, sepultura ecclesiastica, et auditione divinorum officiorum.

89. *Potestne taliter interdictus celebrare in Oratorio privato?*

Maxime, quia non est interdictus ab ingressu cujuscunque loci sacri.

90. *Tale violantes interdictum an incidant in aliquam pœnam?*

Si illud violant per exercitium ordinis sacri, irregularitatem incurrunt (*f*).

91. *Quid est Cessatio a divinis?*

Est prohibitio ecclesiastica Clericis imposita, ne divina officia celebrent in aliquo loco, propter gravissimam injuriam illi illatam (*g*57).

92. *Quinam sunt effectus hujus cessationis?*

Sunt privatio divinorum officiorum, et quorumdam Sacramentorum.

93. *An possit aliquando Missa in dicto loco celebrari?*

Potest semel in hebdomada ad Eucharistiam pro infirmis renovandam.

94. *Quænam Sacramenta administrari possunt tempore cessationis a divinis?*

Omnia, quæ possunt tempore interdicti generalis ministrari, sicuti dictum est n. 82. saltem ex benignitate Ecclesiæ, et consuetudine.

95. *An aliquando est suspensa hujusmodi cessatio a divinis?*

Juxta communiorem sententiam est suspensa iisdem diebus, quibus est suspensum interdictum generale locale, sicuti dictum est n. 85. (*58*)

(*f*) *Cap.* Is cui 20. *de sentent. excomm. etc. in 6.*

(*g*) *Ex Clement.* Ex frequentibus 1. *de sent. excomm.*

(57) Non est censura, neque vera pœna canonica; sed simplex prohibitio ad mœroris ostensionem. Quare differt ab interdicto: et illam violantes, quamvis peccent, irregularitatem non incurrunt.

(*58*) Probabilissimum est licere in dicto loco fideles sepeliri. Clerici non possunt in isto loco divina officia celebrare, sicuti possunt in interdicto locali generali: ita communius contra aliquos.

PARS III.

DE IRREGULARITATE.

96. *Quid est Irregularitas?*

Est impedimentum canonicum impediens per se et primario susceptionem ordinum ecclesiasticorum : et secundario eorumdem administrationem, et usum (59).

97. *An irregularitas possit esse ab homine?*

Nequaquam, sed tantum imponi potest a solo jure universali.

98. *Potestne irregularis recipere primam tonsuram?*

Minime; quia graviter prohibetur illam suscipere.

99. *An possit irregularis munera ecclesiastica exercere, quæ possunt a laicis fieri?*

Affirmative; hoc enim non est ei prohibitum.

100. *Potestne exercere actus puræ et simplicis jurisdictionis?*

Maxime; quia jurisdictione non privatur.

101. *Valetne collatio beneficii irregulari facta?*

Quæstio est: aliqui dicunt esse ipso jure irritam: alii docent esse irritandam. At non privatur irregularis ipso jure fructibus beneficii ante irregularitatem suscepti, si per alium officium adimpleat.

102. *Quotuplicis generis sunt irregularitates?*

Duplicis generis sunt, vel ex delicto, vel ex defectu: pri-

(59) Hinc duo sunt irregularitatis effectus; primarius nempe inhabilitas ad ordines suscipiendos; secundarius privatio administrationis et usus eorundem ordinum.

Quare potest esse totalis, vel partialis; idest quoad utrumque effectum, vel quoad unum; quoad omnes ordines, vel quoad aliquos etc.

Differt a censura in genere; quia 1. censura semper supponit culpam; irregularitas non semper: 2. violando censuram per actum ordinis majoris, incurritur irregularitas; violando irregularitatem, non incurritur alia irregularitas: 3. censura tollitur absolutione; irregularitas dispensatione. Differt etiam a suspensione; nam cadit tam in Clericos, quam in laicos: suspensio vero tantum in Clericos. Differt denique a depositione et degradatione; quia per illam non admittitur quis ad statum ecclesiasticum, per istas ejicitur ab statu ecclesiastico.

mæ non contrahuntur nisi ex culpa mortali: alteræ contrahuntur absque culpa (60).

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

103. Ex quibus delictis contrahitur irregularitas?

Ex sequentibus: 1. ex homicidio, vel mutilatione: 2. ex iteratione baptismi: 3. ex indebita susceptione aut usu Ordinis: 4. ex actu infidelitatis aut hæresis: 5. ex infamia.

104. Ex quonam homicidio contrahitur irregularitas?

Ex homicidio voluntario sive directe, sive indirecte, et ex mixte casuali, dummodo sequatur mors: ac etiam ex homicidio dubio (61). Hanc incurrunt irregularitatem etiam mandantes, consulentes, cooperantes, auxilium præstantes (h 62✻).

---

(60) Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa gravis; exterior, licet occulta (quidquid aliqui dicant) et consummata. Utrum requiratur scientia legis Ecclesiæ prohibentis, et scientia ipsius irregularitatis, vide dicta in I. tract. num. 49. cum subjecta nota (10) et num. 54.

(61) Relege dicta in II. tract. num. 50. et nota subjecta (22).

(h) *Ex variis jur. loc.*

Innumeri cum sint juris canonici loci in hac parte citandi, brevitatis causa omittuntur.

(62✻) Requiritur culpa gravis ad hanc irregularitatem contrahendam. Quare illam non incurrunt infantes, amentes, furiosi, omnes qui ex ignorantia invincibili, vel ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ aliquem occidunt.

Utrum incurrat mandans vel consulens, revocato mandato aut consilio, vel quando mandatarius fines excesserit mandati; eruitur ex dicendis in VIII. tract. a num. 87. ad num. 91. et tota sect. II. de Consulente.

An fiat irregularis, qui dat operam, ex qua præter intentionem sequitur homicidium, fas est videri in tract. IV. num. 297. nota (80✻).

Secundum aliquos fit irregularis, qui ex officio tenetur homicidium impedire, et non impedit; uti sunt medicus, advocatus qui reum tueri tenetur, pater, tutor, viarum custodes, magistratus, officiales communitatis etc. Non fit irregularis ratum habens homicidium suo nomine patratum, quidquid aliqui dicant.

Non est irregularis, qui infirmo debita diligentia dat aliquid, puta medicinæ, cibi etc. ad ejus remedium aut levamen, vel eum movet etc. ex quo præter intentionem mors sequitur, vel acceleratur.

Regula generalis tenenda est quemque irregularem fieri, semper ac homicidii graviter culpabilis reus est.

105. Ex quanam mutilatione oritur irregularitas?

Ex mutilatione proprie dicta, voluntaria, et injusta. Hanc incurrunt irregularitatem etiam seipsos mutilantes, aut proprii membri mutilationem procurantes, quamvis non sit mutilatio proprie dicta, ob nimiam sævitiam: ita etiam, qui culpabiliter sepsum deformat, aut partem sui digiti voluntarie abscindit (✱ *63*).

106. Quinam fiunt irregulares ex baptismi iteratione?

Scienter rebaptizatus, et Acolythus, et probabilius rebaptizans (*64*).

107. Debetne esse publicum secundum baptismum ad hanc incurrendam irregularitatem?

Pro Acolytho debet esse publicum: pro rebaptizato, et rebaptizante quæstio est.

108. Quinam est effectus hujus irregularitatis?

Pro Acolytho, et rebaptizante irregularitas est partialis; nempe non possunt ascendere ad alios ordines, sed possunt in susceptis ministrare: pro rebaptizato est totalis.

109. An ex aliqua indigna baptismi susceptione contrahatur irregularitas?

Maxime: et 1. quando quis libere, et sine necessitate ab hæretico sic declarato baptismum recipit: 2. quando quis baptismi susceptionem usque ad mortis periculum differt.

110. Quinam fiunt irregulares ex illicita ordinum susceptione?

1. Qui furtive ordinantur; sed tantum quoad ascensum ad

(✱) Hinc probabilius fit irregularis 1. qui ambos abscindit testiculos; non vero qui unum: 2. qui etiamsi unam mulieri abscindit mamillam.

Contra probabilius non est irregularis 1. qui externam tantum auriculam amputat, manente auditu: 2. qui aliquos dentes evellit; secus si omnes: 3. qui digitum amputat; exciperem pollicem: 4. qui membrum tantum debilitat; secus si omnino mortuum reddit: 5. qui membrum omnino exsiccatum obtruncat.

Non est irregularis, qui aliquem excæcat, oculum non extrahendo: qui aliquem tantum deformat: Sacerdos jubens fieri abscissionem membri a medico præscriptam; modo ipse illam non exequatur.

(*63*) Mutilationem mandantes, consulentes etc. probabilius evadunt irregulares; mutilatio enim et occisio æquiparantur in jure.

(*64*) Habenda est culpa ad hanc incurrendam irregularitatem. Hinc non contrahitur irregularitas, quando justa de causa sub conditione administratur secundum baptismum: si absque justa causa, quæstio est. Item est quæstio, si ex metu gravi simulate administratur secundum baptismum.

alios ordines : 2. qui sine dispensatione eodem die duos recipiunt ordines, quorum unus saltem sacer est : 3. qui post matrimonium, etiam non adhuc consummatum, ordines sacros recipit sine consensu uxoris. Quæstio autem est ; utrum fiat irregularis, 1. qui suspensus ab ordine, vel interdictus ad ordines majores ascendit : 2. qui ordinatur ante ætatem, vel extra tempora, vel per saltum, vel furtivo titulo, vel ab Episcopo excommunicato, aut suspenso, aut hæretico, aut simoniaco.

111. Quinam fiunt irregulares ex indigno usu ordinis?

1. Qui excommunicatione majore, aut suspensione ab ordine, vel interdicto ligati solemniter et ex officio exercent actus ordinis majoris cum culpa mortali, et scienter (*65*). 2. Qui in locali interdicto generali celebrat, et non observat ea, quæ statuuntur in cap. *Alma mater*. 3. Clericus scienter, serio, solemniter, et tamquam ex officio ministrans in ordine, quem non habet (*66*).

112. Irregularis actum ordinis majoris exercens inciditne in aliam irregularitatem?

Minime, quamvis graviter peccet.

113. Quinam evadunt irregulares ob infamiam?

Omnes infames, sive juris, sive facti, dummodo delictum sit notorium.

114. Estne valida collatio beneficii facta infami?

Est irrita, si infamia est juris : potius est irritanda, si infamia est facti.

115. Quomodo tolluntur prædictæ irregularitates?

Tolluntur dispensatione Summi Pontificis, si delictum est publicum : si vero delictum est occultum, dispensatione Episcopi, excepto homicidio occulto ; ex cap. 6. *Liceat* Trid. sess. 24. de reform. Item potest Episcopus dispensare 1. valde probabiliter in homicidio mixte casuali occulto; et etiam in notorio pro ordinibus minoribus, et beneficiis simplicibus : 2. in indigna sus-

(*65*) Ut publicum dicatur hoc crimen, publica esse debet et censura, et ordinis exercitium.

(*66*) Quæstio est, utrum fiat irregularis Diaconus sollemniter baptizans sine commissione Sacerdotis. Idem est de laico dicendum sollemniter baptizante, aliumve actum proprium ordinis exercente.

reptione baptismi publica, quando adest ministrorum necessitas: 3. in furtiva susceptione ordinis, quando ante ordinationem non est emanata excommunicatio contra furtive ordinatos; vel quando sic ordinatus ingreditur Religionem, et in ea laudabiliter vivit: sic etiam est de eo, qui post matrimonium ordinem sacrum suscepit contradicente uxore, et postea legitime Religionem profitetur: 4. potest Episcopus dispensare in irregularitate contracta ob usurpationem ordinum, sed tantum ut irregularis in susceptis ministret: 5. denique potest Episcopus dispensare, ut irregularis ex infamia in susceptis ordinibus ministret. Utrum possit Episcopus dispensare in irregularitate ex occulto hæresis delicto, dissidium est. Per baptismum tollitur irregularitas ex homicidio, et mutilatione, et ex infamia facti (67).

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

116. *Quot sunt species hujusmodi irregularitatis?*

Sunt septem: 1. ex defectu sacramenti, nempe ratione bigamiæ: 2. ex defectu perfectæ lenitatis: 3. ex defectu corporis: 4. ex defectu animæ: 5. ex defectu libertatis: 6. ex defectu natalium: 7. ex defectu ætatis.

117. *Quid est Bigamia?*

Est multiplicatio matrimonii.

118. *Quotuplex est?*

Triplex; vera, interpretativa, et similitudinaria: vera est, quando quis cum pluribus successive matrimonium contrahit, et consummat: interpretativa, quando quis viduam, vel ab alio quomodocumque corruptam ducit; vel quando accedit ad suam uxorem ab alio cognitam tempore matrimonii; vel quando duo ma-

(67) Commune est, quod possint Confessarii Regulares omnes fideles dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi cum suis subditis, ex privilegio Sixti IV. et Julii II.

trimonia, unum validum, et aliud invalidum contrahit, et utrumque consummat, sive vivente sive mortua propria uxore (68): similitudinaria est, quando quis solemni voto ligatus matrimonium attentat contrahere, et consummare.

119. Ex quanam bigamia oritur irregularitas?

Ex omnibus tribus expositis. Sic etiam fit irregularis qui contrahit cum serva, aut cum muliere infami. Litigium est, utrum fiat irregularis 1. qui illusorie secundum contrahit matrimonium ad copulam extorquendam: 2. qui cum vidua aut corrupta nulliter contrahit, sed consummat. At non fit irregularis, qui contrahit cum vidua a primo viro non cognita (69).

120. Quinam sunt irregulares ex defectu perfectæ lenitatis?

Omnes baptizati, qui voluntarie et proxime (licet juste) in bello, aut in judicio concurrunt ad necem vel mutilationem determinatæ personæ, effectu secuto: vel mortem accelerant (70✱). Quare non sunt irregulares domini temporales, etiam ecclesiastici, qui generice emanant leges mortis, vel mutilationis, aut causam sanguinis aliis committunt etiam de peculiari persona. Non sunt irregulares, qui in causa propria, aut suorum, aut ecclesiæ alium accusant (civiliter tamen, non criminaliter) cum

---

(68) Propter affectum intentionis cum opere subsecuto.

(69) Sic non est irregularis 1. qui fornicatur, vel adulteratur: 2. qui contrahit cum corrupta a seipso: 3. Clericus plures habens concubinas.

Ex veriori sententia fit irregularis 1. qui corruptam ducit, quam virginem credebat: 2. qui duo matrimonia invalide contrahit, et consummat.

(70✱) In bello justo defensivo non fit irregularis qui occidit aut mutilat: item non fit irregularis qui aggressorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ. In bello justo offensivo fit irregularis, qui propria manu occidit vel mutilat: non vero qui alios ad pugnam generaliter exhortatur: utrum fiat irregularis qui exhortatur ad occidendum in particulari, quæstio est. In bello injusto omnes fiunt irregulares, si unus moriatur; quia habetur delictum. Clericus in sacris aut beneficiarius militans, si in aliquo conflictu sclopum adhibuerit, irregularis evadit, licet juret se nullum læsisse.

In judicio fiunt irregulares 1. judices, eorumque assessores: 2. testes voluntarii, non vero coacti; idem est de advocatis et procuratoribus contrariis: 3. accusatores et denunciatores: 4. ministri justitiæ, satellites, et sententiæ executores: 5. notarii, et scribæ qui sententiam scribunt; non vero qui transcribunt: 6. qui patibulum fabricat pro determinata persona etc.

Confessarius potest absolutionem negare judici, qui reum non damnat; nam non intendit rei mortem, sed providet judicis conscientiæ.

expressa protestatione, se nullam intendere occisionem, vel mutilationem. Non est irregularis judex ecclesiasticus, qui Clericum degradatum brachio sæculari puniendum tradit; dummodo misericorditer pro eo intercedit. Non est irregularis Chirurgus secans infirmi membrum: at Clericus in sacris constitutus fit irregularis chirurgiam exercens cum incisione, et adustione (71).

121. Quinam sunt irregulares ex corporis defectu?

Sunt sequentes: 1. ex defectu membrorum omnes, quibus deest aliquod corporis membrum, vel membri officium, ita ut sacro ministerio obeundo impares sint (✱). 2. Ex defectu sexus hermaphroditi (at juxta aliquos si sint noti); et illi qui se ex culpa castravere. 3. Ex defectu deformitatis sunt irregulares nimis deformes, ut quasi horrori sint adspicientibus (✱✱). 4. Ex defectu sanitatis sunt irregulares qui laborant morbo aliquo insanabili, vel notabili virium debilitate (✱✱✱). Ad Episcopum in dubio spectat declarare, utrum isti sint irregulares.

122. Quinam sunt irregulares ex defectu animæ?

Illi qui non habent rationis usum, vel debitam scientiam. Temporalis est hujusmodi irregularitas; tollitur enim ablato impedimento (72).

---

(71) Excipitur necessitatis casus: et si Clericus est peritus, omnem adhibet diligentiam, et hoc facit pietatis, non cupiditatis gratia, potest cum eo misericorditer agi post debitam satisfactionem.

(✱) Hujusmodi sunt cæci; at probabilius non est irregularis sinistro carens oculo, modo possit Canonem legere absque indecenti faciei conversione: surdi non adhuc ad ordinem promoti: muti: claudi, qui sine baculo non possunt sustentari in altari, vel qui ligneo indigent pede; aliqui excipiunt, si defectus sit modicus: qui caret manu, vel omnibus digitis, vel parte (non vero ungue) pollicis, aut indicis.

(✱✱) Isti sunt qui carent naso, vel nimis deformem habent: qui aliquem oculum erutum tenent; probabiliter excipe, si potest deformitas reparari per oculum vitreum: qui auriculis caret; nisi defectus capillis aut aliter tegatur: leprosi: qui labia corrosa, vel abscissa habent: laborantes morbo gallico, qui foris appareat: monstruosi: ita enormem habentes gibbam, ut sint nimis deformes, vel nequeant recto capite stare: pigmæi etc.

(✱✱✱) Ut sunt epileptici; dæmoniaci; laborantes febri continua, aut paralysi; abstemii etc.

(72) Irregularis ad ordinem superiorem nequit inferiorem suscipere; quia iste ad illum ordinatur.

Si quis ex præfatis defectus ordinibus superveniat, non impeditur ordinatus ab actibus, quos potest sine indecentia exercere.

123. Neophyti suntne irregulares?

Maxime, quia in fide novitii. Ad Episcopum spectat declarare, an adhuc sint neophyti.

124. Quinam erant irregulares ex defectu libertatis?

Servi, seu Mancipia, durante servitute. Item erant irregulares Curiales.

125. Quinam sunt irregulares ex defectu natalium?

Omnes ex illegitimo toro nati: exceptis legitimatis per subsequens matrimonium, aut per legitimationem absolutam Summi Pontificis. At non sunt illegitimi, proindeque non sunt irregulares, nati ex invalido matrimonio; dummodo matrimonium fuerit celebratum coram Ecclesia, præmissis denuntiationibus, et cum bona fide ex parte unius saltem contrahentis. Utrum sint irregulares illegitimi dubii, et utrum expositi censendi sint illegitimi, quæstio est.

126. Quinam sunt irregulares ex defectu ætatis?

Qui non habent ætatem legitimam ad ordines requisitam. Hujusmodi irregularitas est ad tempus. Qui mala fide ante ætatem legitimam ordines suscipit, incidit in perpetuam suspensionem.

127. Quinam possunt in præfatis irregularitatibus dispensare?

Solus summus Pontifex; et ne Pontifex quidem, si irregularitas sit conjuncta cum aliquo impedimento juris naturæ. Attamen potest Episcopus dispensare 1. bigamum similitudinarium, dummodo contraxerit cum virgine; et idem tenent DD. de bigamia interpretativa occulta, quoties ea provenit ex delicto occulto: 2. illegitimos, sed tantum ad ordines minores, et simplex beneficium: et (sicuti aliqui minus probabiliter dicunt) quando illegitimus occultus est bona fide ordinatus, potest Episcopus dispensare, ut ministret in ordinibus susceptis. Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis tollitur per baptismum: et professio religiosa aufert irregularitatem ex defectu natalium; at non potest talis religiosus ad dignitates ascendere (73). Et juxta plurimos potest Episcopus dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis.

---

(73) Ex privilegio Pauli III. possunt Prælati Regulares cum suis subditis dispensare in omnibus irregularitatibus.

In quibus casibus, pœnis etc. possit recurri ad S. Pœnitentiariam, fas est legi apud B. A. Ligorium lib. 7. in fine.

APPENDIX I.

DE VIRTUTIBUS.

Ex Dei oraculo Psal. 36. 27. non in solo malo declinando, sed et in bono faciendo hominis posita est salus æterna. Hinc merito, postquam de malo egimus, de virtutibus, in queis prosequendis stat bonum, breviter tractare rectus ordo nos cogit. Et quamvis de theologicis tantum, et de Religione sit mens sermonem facere, hanc tamen Appendicem, in qua tum de Virtutibus in genere, tum de præcipuis Moralibus aliquid leviter attingimus, præponendam duxi: ut ita Tyrones et brevem de istis habeant notitiam, et ad sequentes intelligendas aptiores se reddant.

SECTIO I.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

1. *Quid est Virtus?*

Virtus, prout hic sumitur, est habitus perficiens substantiam intellectualem, et ad bonam rectamque operationem inclinans: seu *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur* (a).

2. *Quotuplex esse potest?*

Multiplex: 1. Ex parte subjecti intellectualis est, vel moralis: prima est quæ intellectum perficit in cognitione veri; uti est fides, prudentia etc. altera est quæ voluntatem perficit in affectione ad bonum honestum; uti est justitia, temperantia etc. 2. Ex parte causæ efficientis vel est infusa, vel acquisita: infusa

(a) *S. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4. aliique communiter.*

seu supernaturalis dicitur illa, quæ nequit per potentiam naturalem comparari, sed a Deo immediate infunditur; sicuti est fides, spes, charitas: acquisita dicitur illa, quæ per frequentationem actuum adjutorio Dei acquiri potest ex potentia naturali; sicuti est mansuetudo, humilitas etc. 3. Ex parte objecti theologica est, vel moralis: theologica vocatur, quæ circa Deum, tanquam objectum materiale, et formale, immediate et principaliter versatur; et talis est fides, spes, charitas: moralis est, quæ versatur circa aliquod objectum creatum, tanquam medium ad ultimum finem, nempe Deum; hujusmodi sunt omnes aliæ virtutes. 4. Vel est perfecta, vel imperfecta: perfecta est habitus inclinans non solum in opus bonum illi virtuti proprium, sed etiam ad illud bene, prompte, ac fortiter in omni circumstantia exequendum: si vero desit hujusmodi promptitudo, fortitudo etc. tunc dicitur imperfecta virtus.

3. *Virtus moralis differtne a theologica?*

Maxime; et 1. ratione causæ efficientis; quoniam theologica est super naturam hominis, moralis naturali potentia potest acquiri: 2. ratione objecti; theologica enim circa Deum, moralis circa objectum creatum immediate versatur.

4. *Undenam virtutes perfectionem accipiunt?*

Ex charitate: patet ex 1. Corinth. 13. ubi Apostolus varios enumerans virtutum actus, semper concludit istos nihil valere, nihil esse, nihil prodesse sine charitate: nam non potest haberi vera et perfecta virtus, nisi ad debitum ultimum finem dirigatur; quæ sane directio haberi nequit, nisi ipse finis diligatur (*b* 1).

5. *Virtutes suntne inter se connexæ, et unitæ?*

Virtutes perfectæ ad invicem sunt connexæ, ut docent PP. (*c*):

(*b*) *D. August. epist. 167. et lib. 5. de Civit. cap. 12. ac lib. 4. contra Jul. cap. 3. D. Chrisost. hom. 23. in Epist. ad Rom. D. Leo M. serm. 10. in Quadrag. D. Thom. 2. 2. q. 23. a. 7. aliique comm.*

(1) Attamen virtutes sine charitate stricte loquendo in se vitia dici nequeunt; habent enim objectivam honestatem, *S. August. lib. de spiritu et lit. cap. 27.* quare a S. Pio V. et Greg. XIII. damnata fuit Baji prop. *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.*

(*c*) *D. August. lib. 6. de Trin. cap. 4. D. Ambros. super Luc. cap. 6. in illud* Beati pauperes. *D. Hieronym. in cap. 16. Isai. D. Greg. lib. 21. moral. cap. 3. et 22. cap. 1. D. Bern. serm. de Annunc. D. Thom. 1. 2. q. 65. a. 1. in corp. etc.*

nam sine aliis virtutibus haberi nequit vera charitas, a qua ceteræ virtutes suam desumunt perfectionem. Virtutes imperfectæ possunt esse separatæ; quisque enim in charitate non satis firmus potest in aliquod specialis virtutis bonum ferri, et non in alia.

6. *Quid denotat virtutem esse in medio, seu in mediocritate?*

Ut sit media inter opposita extrema, idest defectum inter et excessum.

7. *An virtutes in medio consistere debeant?*

Virtutes morales in medio consistere debent: versantur enim circa bonum creatum ac finitum; ideoque sicuti vitium est in ejus boni prosecutione deficere, ita et excedere (*d*). In virtutibus vero theologicis ex parte objecti, quod est Deus, excessus non datur; cum sit objectum infinitum (*e*): sed tantum defectus dari potest: ex parte vero actus, seu exercitii earum excessus quoque dari potest, e. c. credere quod Deo non convenit, sperare beatitudinem sine gratia vel meritis, actione indebita Deum amare etc. propterea ex parte actus seu exercitii ipsæ quoque in medio consistunt (2).

8. *Quot sunt virtutes Cardinales?*

Quatuor, Prudentia scilicet, Temperantia, Fortitudo, et Justitia (*f*).

9. *Quare dicuntur Cardinales?*

Quia sunt aliarum moralium virtutum tanquam fontes, et cardines, quibus subnixa tota regitur humana vita (*g*).

10. *Quotuplici modo ceteræ morales virtutes ad Cardinales reducuntur?*

Triplici modo: 1. uti partes *subjectivæ*, idest species, in quas cardinalis virtus dividitur: 2. uti partes *integrantes*, seu *integrales*, sine quibus virtus cardinalis integra et perfecta esse non potest: 3. demum uti partes *potentiales*, quæ sane instar potentiarum seu facultatum ipsi cardinali virtuti subserviunt.

(*d*) *S. Thom. 1. 2. q. 64. a. 1. in corp.* (*e*) *Idem ibid. a. 4. in corp.*

(2) Ex dictis patet vitium esse, quod virtuti opponitur sive per defectum, sive per excessum.

De virtutibus theologicis integer sequens datur tractatus.

(*f*) *S. Ambros. in cit. cap. 6. Lucæ, S. August. in Ps. 83. vers. 8. ceterique comm.*

(*g*) *D. Greg. lib. 2. moral. cap. 26. aliique.*

SECTIO II.

DE PRUDENTIA, EIQUE ADNEXIS VIRTUTIBUS.

11. *Quid est Prudentia?*

Est virtus, qua bene et sagaciter ea seligimus, quæ ad propositum honestum finem ducunt, rejicimusque contraria.

12. *Quænam sunt partes subjectivæ prudentiæ, seu quotuplex est prudentia?*

Triplex: 1.ª *Singularis*, seu *solitaria, personalis, monastica*, quæ modum dictat seipsum recte gubernandi. 2.ª *Œconomica*, quæ dictat modum recte gubernandi familiam. 3.ª *Politica*, seu *Civilis*, quæ recte gubernandi rempublicam modum dictat (*h*).

13. *Quænam virtutes ad prudentiam attinent, tanquam partes integrales?*

Præcipuæ novem: *Memoria*, idest præteritarum rerum recordatio: *Intelligentia*, seu intellectio et notitia præsentium: *Providentia*, seu prævidentia futurorum: *Ratio*, nempe promptitudo et facilitas ratiocinandi, et unum ab alio colligendi: *Solertia*, scilicet expedita facultas excogitandi et applicandi media ad finem conducentia: *Circumspectio*, idest ad omnes actionis circumstantias attenta consideratio: *Cautio*, seu cura evitandi virtutis impedimenta: *Sollicitudo*, idest promptitudo exequendi: et *Docilitas*, nempe prompta facilitas recta aliorum consilia et monita suscipiendi atque sectandi (*i*).

14. *Quænam sunt vitia prudentiæ contraria?*

Præsertim sunt quatuor per defectum, Inconsideratio nempe, Præcipitatio, Inconstantia, et Negligentia (*k*): et quinque per excessum, Astutia, Dolus, Fraus, Sollicitudo nimia temporalium, et Prudentia carnis, qua quis studiosius excogitat media, et sua facta dirigit ad naturæ corruptæ seu carnis desideria complenda.

(*h*) *S. Thom. 2. 2. q. 48. a. unic. aliique.* (*i*) *Idem ibid. et alii.*
(*k*) *Idem 2. 2. q. 53. et 54. aliique.*

15. Exposita vitia suntne peccata, et cujus generis?

Licet prædicta vitia in intellectu præcipue sita sint, tamen cum sint aliorum vitiorum origo et causa, ejus peccati rationem habent, cujus causam aut periculum creant.

SECTIO III.

DE TEMPERANTIA, EIQUE ADNEXIS VIRTUTIBUS.

16. QUid est Temperantia?

Est virtus hominem recte ordinans circa ea, quæ sunt delectabilia sensibus.

17. Quænam virtutes sunt partes subjectivæ, seu species temperantiæ?

Sunt Abstinentia, Sobrietas, et Castitas. Abstinentia virtus est cibi usum moderans: Sobrietas, quæ temperat usum potus: Castitas regit ac refrænat venereorum appetitum.

18. Quotuplex est Castitas?

Triplex esse potest, virginalis nempe, vidualis, et conjugalis, prout est in virginibus, viduis, vel conjugatis. Castitati accedit *Pudicitia*, quæ virtus appetitum moderatur circa aspectus, oscula, tactus, aliosque impudicos actus ad actum principalem prævios.

19. Quænam virtutes, tanquam partes potentiales temperantiæ sunt adnexæ?

Continentia, quæ quidem hominem a venereis continet. *Humilitas*, quæ hominem ad sui vilitatem agnoscendam, et ingenue profitendam inclinat. *Mansuetudo*, quæ moderatur iram juxta rationis præscriptum. *Clementia*, quæ externam moderatur vindictam, quantum patitur justitiæ ratio. *Studiositas*, quæ inordinatam sciendi cupiditatem temperat, ac intra legitimos fines cohibet. *Modestia*, quæ hominem intra sui status conditionisque fines debito modo continet, sive in verbis, sive in factis, sive in vestibus, sive in cibis etc. quæ cum servatur in verbis alio nomine *Taciturnitas* dicitur. *Eutrapelia* seu *Urbanitas*, quæ, prout in præsenti accipitur, est virtus rectum rationis moderamen ser-

vans in recreationibus, ludis, ac jocis honestis, ad animi corporisque levamen susceptis.

20. *Quænam vitia temperantiæ opponuntur?*

Ipsi temperantiæ opponitur *Stupor* per excessum, et *Intemperantia* per defectum. *Stupor* seu *Insensibilitas* est vitium, quo delectationes corporeæ ad naturæ conservationem ordinatæ, contra rectam rationem prætermittuntur. *Intemperantia* vero est vitium, quo quis in voluptatibus appetendis omnino excedit dictamen rectæ rationis. Aliis temperantiæ partibus per defectum opponuntur, abstinentiæ *Gula*, *Crapula*, *Commessatio*, quæ idem sonant; sobrietati *Ebrietas*; castitati *Luxuria*; pudicitiæ *Impudicitia*; continentiæ *Incontinentia*; humilitati *Superbia*; mansuetudini *Iracundia*; clementiæ *Crudelitas*; studiositati *Negligentia*; modestiæ *Immodestia*, *Petulantia*, *Insolentia*, *Fastus* etc. taciturnitati *Loquacitas importuna*; eutrapeliæ seu urbanitati *Eutrapelia mala*, idest *Scurrilitas*. Per excessum vero opponuntur clementiæ *Lenitas nimia*; mansuetudini *Vacuitas justæ iræ* seu *zeli justitiæ*; humilitati *Nimia sui abjectio*; modestiæ *Ruditas*; studiositati *Curiositas vana*; taciturnitati *Silentium importunum*; eutrapeliæ *Inurbanitas* etc.

21. *Gravia, an levia sunt vitia prædicta?*

Generatim loquendo, sunt gravia, vel levia, prout est materia, præceptum, prohibitio etc. (3)

SECTIO IV.

DE FORTITUDINE, ALIISQUE VIRTUTIBUS ILLI ADNEXIS.

22. Q*uid est Fortitudo?*

Est virtus audaciam et timorem moderans in periculis juxta modum rationis adeundis, et in rebus adversis sustinendis.

23. *Quot sunt fortitudinis species subjectæ?*

Duæ, *Magnanimitas*, et *Patientia*: prima inclinat ad ardua ex recto motivo aggredienda: altera inclinat ad mala et adversa ex præscripto rationis æquanimiter toleranda.

(3) De istis vitiis fere omnibus dicitur in aliis tract. et append.

24. *Quænam sunt virtutes fortitudini adnexæ ceu partes integrantes ?*

Præcipuæ sunt 1. *Fiducia* seu *Confidentia*, qua quis posse se ardua et difficilia, ubi et quando decet, aggredi vel tolerare rationabiliter confidit. 2. *Magnificentia*, quæ hominem paratum reddit ad magnos faciendos sumptus, ubi et quando recta ratio dictaverit. 3. *Perseverentia* seu *Constantia*, quæ est propositi tenacitas, qua quis, difficultatibus ac molestiis non obstantibus, in bono opere persistit, quandiu recta ratio dictat.

25. *Quænam sunt vitia fortitudini contraria ?*

Ipsi fortitudini vitia contraria sunt per excessum *Audacia* seu *Temeritas*, per defectum *Timiditas* seu *Ignavia*: *Audacia* est vitium, quo quis pericula aggreditur, ubi, quando, vel quomodo non oportet secundum rectam rationem: *Timiditas* contra est vitium, quo quis non audet quid aggredi vel sustinere, ubi, quando, et quomodo secundum rectam rationem oportet. Aliis virtutibus per excessum adversantur, magnanimitati *Ambitio*, *Præsumtio*, *Gloria inanis*; patientiæ *Insensibilitas*; fiduciæ *Audacia*, *Temeritas*, *Præsumtio*; magnificentiæ *Profusio rerum*; perseverantiæ *Pertinacia*: per defectum vero magnanimitati opponitur *Pussillanimitas*; patientiæ *Impatientia*; fiduciæ *Timiditas*, *Pussillanimitas etc.* magnificentiæ *Parvifacientia*; perseverantiæ *Inconstantia*.

26. *Sunt gravia, an levia recensita vitia ?*

Sunt gravia vel levia, prout sunt peccata omissionis vel commissionis, quorum causam aut periculum præbent.

SECTIO V.

DE VIRTUTIBUS JUSTITIÆ ADFINIBUS (4).

27. *Quænam virtutes justitiæ sunt affines, tanquam partes potentiales?*

Sunt Religio, Pietas, Observantia, Obedientia, Veritas, Gratia, Vindicatio, Liberalitas, Amicitia, et Affabilitas.

---

(4) Quid, et quotuplex sit justitia dicetur in VIII. tract. num. 1. et 2.

28. *Definitiones exhibe istarum virtutum.*

(5) *Pietas*, prout sumitur in subjecta materia, est virtus, qua parentibus, aliisque conjunctis, ac patriæ debita deferimus officia (6). *Observantia* est, qua viros in dignitate constitutos debito prosequimur honore. *Obedientia* est, qua propter Deum voluntatem nostram superiorum voluntati aliqua præcipientium subjicimus. *Veritas*, seu *Veracitas* est virtus, qua tales nos et vita et verbis exhibemus, quales reipsa sumus, nihil contra mentem fingentes. *Gratia*, sive *Gratitudo* est, quæ ad accepta beneficia cognoscenda, et ad ea compensanda nos inclinat. *Vindicatio* eadem est ac Justitia vindicativa (7). *Liberalitas* virtus est, quæ in convenienti bonorum distributione consistit, ut scilicet non negemus indigentibus, nec tribuamus indignis. *Amicitia* est, qua aliqui mutuam inter se benevolentiam gerunt, seque invicem bonis afficiunt. *Affabilitas* est, qua quis in vitæ consuetudine verbis et factis facilem et gratum, ut decet, exhibere se studet (8).

29. *Recense vitia justitiæ ejusque adfinibus virtutibus adversantia?*

Justitiæ *Injustitia* sive *Injuria* adversatur (9). Aliis virtutibus per excessum sequentia adversantur vitia, scilicet religioni *Superstitio*; vindicationi *Crudelitas*; liberalitati *Prodigalitas*; affabilitati *Adulatio*; vitia aliis virtutibus per excessum opposita proprio carent nomine. Per defectum vero adversantur religioni *Irreligiositas* (10); pietati *Impietas*; obedientiæ *Inobedientia*; veritati *Mendacium* (11); gratitudini *Ingratitudo*; vindicationi *nimia Clementia*, seu *indiscreta Lenitas*; *Avaritia* liberalitati; et *Morositas*, seu *Asperitas* affabilitati.

30. *Qualia peccata sunt enumerata vitia?*

Generatim loquendo, talia sunt, qualis eorum materia, prohibitio etc. (12)

(5) De Religione agetur. in VII. tractatu.

(6) Hujusmodi officia exponentur in append. II. sect. I. II. et III.

(7) De qua vide dicta tract. III. num. 56. et dicenda tract. VIII. num. 2. nota (1).

(8) De istis virtutibus lege sis D. Thomam 2.2. a q. 101 ad q. 117 copiose disputantem.

(9) Vide dicenda in cit. tract. VIII. num. 22. et 23.

(10) De superstitione et irreligiositate in VII. tract. toto cap. IV. et cap. V. in anteloquio dicetur.

(11) De quo factus est sermo in IV. tract. part. II. cap. V.

(12) De istis permultis in aliis locis sermo factus est.

INDEX

TRACTATUUM, CAPITUM etc.

QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE COMPLECTUNTUR.

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

TRACTATUS IV.

DE PECCATIS.

PARS I.

DE PECCATIS IN GENERE.

PARS II.

DE QUIBUSDAM PECCATIS IN SPECIE.

TRACTATUS V.

PARS I.

DE CENSURIS IN GENERE.

PARS II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

PARS III.

APPENDIX I.